ADAMI CHENOT

PHILOSOPHIÆ ET MEDICINÆ DOCTORIS REI SANITATIS TRANSYLVANÆ PHYSICI REGII,

TRACTATUS

DE

PESTE.



VINDOBONÆ,

TYPIS JO. THOM. NOB. DE TRATTNERN,
CÆS. REG. AULÆ TYPOGR. ET BIBLIOPOLÆ.

MDCCLXVI.

SACRÆ CÆSAREÆ, REGIÆ
APOSTOLICAE

MAJÆSTATI

MARIÆ THERESIÆ

AUGUSTISSIMÆ ROMANORUM

IMPERATRICI

HUNGARIÆ, BOHEMIÆ, DALMATIÆ, CROATIÆ, SCLAVONIÆ, &c. &c.

REGINÆ,

ARCHIDUCI AUSTRIÆ, &c. &c.

DOMINÆ,

SUÆ CLEMENTISSIMÆ

ADAMUS CHENOT.

SERENISSIMA

AC

POTENTISSIMA

REGINA

DOMINA DOMINA

CLEMENTISSIMA

Tota quidem, quam geris, summæ potestatis administratio TE subditorum Matrem agere, & esse declarat, evidentius tamen anxia solicitudo, qua publicam curas sanitatem. Etenim TUARUM provinciarum versus Orientem sese exporrigentium, aut cum eodem commercia miscentium fines multa vigilia circumsepit, ampla diversoria (lazareta vocant) interstinguunt, haud alio, quam arcendæ, propulsandæ, debellandæ omnium

calamitatum maximæ scopo, in quem immensa impendia ærarium suppeditat. Et quæ unquam Mater tantas pro suis prolibus cautelas adhibuit, tantas pecunias profudit? Sic omnes etiam, qui maxime periclitantur, populi vivunt ex Optimæ Principum vigilantia & liberalitate immunem contagii vitam. Et quid, dum regnas, profecit atrox pestis? Repagula quidem subinde perfregit, aut potius elusit, & unius alteriusque provinciæ salubritatem labefactavit, verum ibi fere compressa est, ubi nata erat, tumulumque in suis incunabilis invenit.

Omnium gravissimam Daciæ Transylvanæ abhinc decennium intulit plagam, quæ tamen valde levis extitisset, nisi infausta ignoratio ejus diffusioni favisset. Cognita enim ultra progredi non valuit.

Et eadem, quæ ſanis proſpicit Pietas, in ægros quoque ſe tunc abunde effudit. His enim medelam mox deſignabas, ubi ſub ipſis initiis præſto eſſe Medicum jubebas. Et mihi gratulor, devotiſſimasque ago TIBI gratias, quod tenuitatis meæ admiſeris obſequium. Etenim ſi exantlata Reipublicæ ergo tædia, moleſtiæ, labores, pericula, quemvis bonum civem commendant, & mihi quoque decori duco, eadem ipſa & peſtem tuliſſe, ac ſuperaſſe, CLEMENTISSIMÆque DOMINÆ meæ beneficentiam adflictis diſpenſaſſe.

Quæ quidem conſideratio, ut tunc ſolatio erat, ſic nunc eo magis eſt gaudio, quod manubias fecerim, queis ceu armis ipſe truculentiſſimus hoſtis cominus & eminus

impugnetur. Videlicet ex obſervationibus, quas ægrorum frequentatio, curatioque mihi & Collegæ Medico Bruckmann ſuggeſſit, viam monſtravi, qua peſtiferi ampliore ſucceſſu curari, & ſoſpites commodius periculo eripi queant.

Atqui quum ei ſcopo congrua, proin humano generi utilia me ſcripſiſſe confidam, in ſpem quoque adducor, TUÆ MAJESTATI acceptum fore hocce opuſculum, quod ceu peſtis ex TUA providentia coercitæ, victæ, extinctæ Tropæum TUO NOMINI pono, voveo, conſecro.

Dabam Cibinii Daciæ 10. Junii 1766.



PRAEFATIO.



Pestis omnes, quæ genus humanum unquam adflixerunt, calamitates transſcendit. Nihil tam exitioſum, horrendum, deteſtabile, quod antiquiſſimus jam uſus peſtis appellatione, ob mali excellentiam, non innuerit, & expreſſerit. Nata ſerpit, invadit, occidit velociter & violenter. Nullam hominum ætatem, ſexum, ſtatum, conditionem eximit, robuſtos ferit & infirmos, cautos & incautos, audaces & vecordes, armatos & inermes, heroas & imbelles: ipſos inſequitur fugaces, & per eoſdem ſui protendit fines imperii. Funera funeribus cumulat, & quæ editarum ſtragium relinquit tropaea, in novarum victoriarum convertit

instrumenta, suaque ex ipsa cadaverum mephiti acuit venena. Omnia metu, terrore, luctu complet, legum sanctimoniam pessundat, jura violat, licentiam inducit, sceleribus patrocinatur, impunitatem fovet. Omnem societatem, communionem, congressum, commercium abrumpit. Parentes, proles, conjuges, fratres, heros, domesticos ab invicem divellit, pietatis & misericordiæ officia aut excludit, aut ceu flagitia punit, ipsasque, quæ miseris feruntur, suppetias vitæ pretio appendit, urbibus, oppidis, pagis solitudinem, agris vastitatem, & his ipsis hominibus, queis parcit, egestatem famemque parat, & infert: mortuos sepultura privat, ipsamque divinitatem publice coli vetat.

Etsi vero ars Medica, nostro præsertim hoc ævo, sese sic ampliatam firmatamque jure gaudeat, ut adversus omnes morbos suam industriam ad summum fere apicem evexisse videatur, est tamen hic ipse teterrimus morbus, orbi fere cœtaneus, in cujus cognitione & curatione se parum profecisse fateri debet. Causas aliquot proferre lubet.

Ejus originem, utpote summi mali, a causis supernaturalibus tota fere repetiit antiquitas. Ipsæ sacræ paginæ testantur adorandum Numen hac calamitate, ceu vindictæ instrumento, non infrequenter usum esse. Hinc non vulgus tantum, sed & plerique Medici

animo induxerant, artem adversus morbum nihil posse, quem ipsa divinitas excitaret.

Talem opinionem præseferre, & apud plebem fovere, eo majoris intererat Medicorum, quod nec natura, nec ars adversus mali insultus, vimque ullum revelasset præsidium, cui tuto confiderent, immo ipsos, quæ ægrorum congressum poscit, Medicinæ praxis evidentiori, frequentiorique exponeret discrimini. Ita morbi indoles & magnitudo medelam, & medicantes exclusit, hisque ansam præbuit ex infecto loco fugiendi, aut alia via sese periculo subducendi. Sic Galenus ex pestis metu Roma bis in Patriam secessit. Immo præjudicatio adeo occupavit Sanctorium penultimi sæculi Medicum, ceterum præstantissimum, ut inter causas, cur pestis diu duret, hanc attulerit: Quia utuntur remedio interno pro peste, quum nullum detur, quod non noceat. Scit. I. aphor. 140.

Atqui hinc jam patet, unde factum sit, ut a veteribus, omnibusque, qui pestem immedicabilem esse credebant, & evulgabant, nihil aut saltem valde pauca, eaque tum circa historiam, tum circa Therapiam valde imperfecta acceperint posteri monumenta.

Vix plus profecere, qui quidem medicam opem utilem arbitrantes, publicæ saluti servire, suamque simul in tuto collocare, aut saltem periculum minuere satagebant. Dum videlicet ægros non adibant, sed horum ministros, do-

mesticos, propinquos eminus de morbo, ejus statu, & symptomatis audiebant, & interrogabant, vel si fors ægros adibant, non nisi itidem eminus adloquebantur, pauca tantum eaque communia festinanter, & inconsiderate disquirebant, eademque præcipitantia medicamina, quæ authores laudaverant, aut ipsimet aliquibus ægris profuisse compererant, præscribebant.

Nemo vero non videt, quam exilem, mutilam, incertam comparaverint morbi notitiam, quam infidam, fallacem, sterilem oportuerit esse Therapiam, quæ adeo debili infirmoque superstruebatur fundamento, & adeo oscitanter exercebatur.

Non poterant ergo hi Medici claram, ordinatam, adæquatam tradere de morbo doctrinam, aut medendi methodum ampliare, vel perficere, velut nec qui eorum opera legebant.

Confusionem auxit, & artis profectum retardavit, impedivitque nimium, quod plurimos cepit, cognoscendæ definiendæque miasmatis pestiferi essentiæ. Insederat enim eis opinio, illa probe cognita, idoneam efficacemque haud ægre repertum iri medelam. Fors tandem successisset consilium, si ex fidis, bene perpensis, inter se accurate collatis observationibus institutum, & productum fuisset. At harum penuriam, inopiamque supplere, aut saltem, quod quærebatur, ex paucis eruere tentavit, sibi nimis

indulgens ingenii acuties. Hinc natæ ſunt variæ de indole miaſmatis peſtiferi opiniones & diſceptationes; in quo nimirum plurimi eximiæ putredinis, alii ſpiritus fracidi mucidique ad ſummum corruptionis gradum exaltati, nonnulli exhalationum ſubterranearum, aut ſulphuris incocti mumiatique, hi vaporis arſenicalis, iſti aconiti, napellive deleterias facultates ſe obſervaſſe rebantur. Suos itidem aſſeclas nactus eſt Kircherus, qui peſtilentiæ cauſam fecit animatam, crediditque animalcula minima, orarum maris mediterranei indigenas, in corpore humano conveniens invenire deponendis ovis pabulum, eaque, ſi aer faveret, peſtem creare, eodem adverſante in fomite ſaltem tamdiu conſervari, donec data occaſione in aera diſpergerentur, corporibusque adhærerent.

Haud in me ſuſcipio hæc, & quæ plura ſunt, diſquirere aut refellere luxuriantis imaginationis commenta. Satis eſt authores & fautores, ne latum quidem unguem, fuiſſe ceteris feliciores: immo vix dubitare licet, ægris damno fuiſſe. Superſtructam enim falſæ, aut ſaltem incertæ Theoriæ Therapiam haud adeo a fida morbi obſervatione, indeque hauſtis indicationibus, quam a præocupatæ mentis affectione dirigi, & duci oportuit. Sic pro varia, quam quiſque de miaſmate tuebatur, opinione, varia quoque tanquam ſpecifica deprædicabant, & porrigebant medicamenta.

Qui ſpretis aut rejectis de miaſmate diſquiſitionibus inveniendæ antidoto unice vacabant, nec quicquam plus præſtitere, quia veram viam, quæ virtutem ſimplicium experiundo eſt, non amplexi ſunt. Conſideraverunt omnia, aut ſaltem præcipua morbi ſymptomata, & ex medicamentis ſimplicibus, quæ ſingulis mederi autumabant, multiplices, & varietate pene infinitas condidere compoſitiones, quiſque pro ſuo genio, eosque ſuperbo alexipharmacorum titulo, ut ſæpe ſine delectu conflatas, ſic promiſcue omnibus ægris, aliquorum ſalute, multorum interitu exhibuerunt: nihil ultra tentantes, ſi hæc optatum non ſortirentur effectum

Interim prorſus iniquum & injurium foret, exiguitatis profectus, quem ars Medica hactenus exhibuit, & ingentium, quas peſtis edidit, cladium culpam in ſolos Medicos refundere, tanquam ſi ſucurrere renuiſſent, aut non valuiſſent. Fuerunt ſane, qui totum, quantum eſt, periculum ſubire, publicæ ſaluti ſe totos offerre, & devovere non dubitarunt, iique medendi peritia inſignes, & opitulandi deſiderio ferventes indefeſſique viri.

Verum, ut de morbi malignitate, & de ejuſdem ſupra naturæ vires excellentia, utpote quæ nemini ignotæ ſunt, nihil dicam: tot tantaque Medico peſtiferis medenti naſcuntur, & faceſſuntur incommoda & obſtacula, ut vel

peritissimus, suique officii studiosissimus plurimos mori dolere debeat, quos ceterum servare potuisset

Primo quidem ipsa ægrorum, quos invisere debet, multitudo ansam & otium præripit apud singulos phænomena exacte observandi, horum causas & momenta perpendendi, indicationes, quæ ex his fluunt, determinandi, naturæ ductum considerandi, idoneaque præsenti hujus in individuo ægri statui seligendi, & horum effecta ab effectis morbi clare discernendi. Quæ omnia tamen prorsus necessaria sunt, ut curatio ad artis leges dirigatur, & ex voto cedat.

Deinde vel optimæ methodi applicatio innumeras, & pene insuperabiles reperit difficultates. Rarissime, si unquam, ne in magnis quidem civitatibus, præsto sunt, & fiunt, quæ ad ducendam juxta artificis intentionem medicamentorum efficaciam requiruntur. Vasa, supellex, lectus, diætæ regiminisque observatio, ministrorum attenta, obsequiosaque sedulitas nullibi magis, quam apud pestiferos desiderantur. Ipsi ægri, qui potissimam partem sunt de infima plebe, medicinæ insueti, rudes, immorigeri, pertinaces, optima consilia, optima auxilia, optimas cautelas spernunt, rejiciunt, eludunt, evertunt. In anu potius fiduciam ponunt, quam in viro rerum experto, quem aut ne-

quaquam, aut non Medicum, sed potius stantis præ foribus mortis testem advocant.

Tertio ipsæ politicæ dispositiones, ut ut ex suo fine, qui est ægrorum a sanis separatio, maxime laudabiles Medico obsunt. Conjuges, proles, consanguinei, domestici, amici a se invicem, velut a media sui parte, violenter divelluntur. Ægri in nosocomia transferuntur quo omnis generis homines cumulantur, singuli omnium, & omnes singulorum squalidas, fœtidasque exhalationes cum aere respiraturi: nebulonum immisericordiumque ministrorum, quales plerumque sunt qui nosocomiis serviunt, nequitiam duritiemque experturi diu, si evaserint, pauco tempore, si vitæ calamitosæ præceps mors finem attulerit. Atqui quum quivis harum ærumnarum specimina continuo præ oculis habeat, quis ægris eorumque propinquis jure succenseat, si pestem, quam diu possunt, reticeant? Quis male vertat uxori, quæ conjugem charissimum peste infectum domi habet, celat ex metu, ne, si innotuerit, æternum forte sibi prolibusque avellendus sit, & tunc quidem, ubi is sua cura & solatio maxime indiget? Quæ afflictio, quis mœror & dolor! dum homines, etiam non infimæ sortis a truculentis ministris curru aut sedili, velut morti jam sacratæ victimæ in fœtorum cloacam abripiuntur, aut quod adhuc luctuosius, ut vidi, per plateas raptantur semimortui? Quis non malit

ſine Medico, ejusque ope intra domus ſuæ clauſtra totam, quanta eſt, periclitari peſtis ſævitiem, quam incertam infirmamque tanti redimere artis opem? Ita fit, ut Medicus tantum fere nanciſcatur ægros, queis mors jam dominatur, aut quos mitior morbus fere extra periculum conſtituit, id eſt, in quos ars nihil aut parum poſſit, aut fere inutilis ſit; paucos, quos medicamentorum virtute reſtitutum iri, innixam rationi ſpem concipere valeat. Sane vix morbum reperias, in quem mutatæ mentis affectiones tantum habeant imperium, ægrumque ſic mutent, ſicut in peſte. Quot ergo ægros divulſio a ſuis, detruſio in noſocomia, miniſtrorum inhumanitas morti mancipavit, qui ceterum ſervari potuiſſent?

Denique peſtiferis expoſitus Medicus infinitis propemodum laboribus, noſtro præſertim ævo, gravari ſolet. Diſpoſitionum prophylacticarum, noſocomiorum inſtructionis, ſubinde & exſtructionis cura: diſquiſitio de ſpecie morbi in novis ægris, de his relatio: Chirurgorum, Pharmacopoeorum, Miniſtrorum obſervatio, directio litium, rixarum, quærelarum inter ſe, & cum ægris examinatio, dijudicatio, diremptioque ab eo exiguntur, cui artis exercitium, morbi difficultas ſatis imponunt negotiorum. Immo eo quandoque procedunt Magiſtratus, ut Medicus ſcri-

)(

bæ partes in ſe ſuſcipere adigatur. Nomen, originem, conditionem, ſtatum, habitationem ægrorum & mortuorum notare, & in catalogos tranſcribere tenetur, ſubinde & res teſtamentaria, ſub ſua cura morientium, ei defertur. Quæ quidem omnia non tantum diſtrabunt a ſalutaribus curis animum, verum etiam, cum in bis exercitatus non ſit, raro aut non niſi poſt iteratos labores Magiſtratibus ſatisfacit. Hinc naſcuntur acerbiſſimæ reprebenſiones, minitationes, aliæque moleſtiæ, quas ab iis pati plerumque debet, qui ſuum caput in tuto collocare, odia in alium rejicere, aliena pericula & negotia nec æſtimare, nec ſublevare, ſed potius aggravare apprime norunt inbumani, immiſericordes, ceterum ad peſtis umbram paventes.

Qui omnia bæc, quæ ab experientia adfero, æqua mente conſiderat, agnoſcet, ſpero, peſtis & mortis diſcrimen, ceteris, queis objicitur Medicus, malis, minus eſſe, & ſimul intelliget morientium in infectis locis, Medicum babentibus, multitudinem non adeo ipſi, quam ægrorum medicationi aptorum penuriæ, applicandæ opis difficultati aliisque, quæ ab extus veniunt, obſtaculis imputari debere. Ad bæc reſpexit Medicinæ Parens Hippocrates, dum ait: Medicum non oportere tantum ſe exbibere ea, quæ oportet facientem,

ſed & ægrum, & præſentes, & externa; ex dictis autem abunde patet ab ægro, & a præſentibus, & ab externis omnem medentis ſolertiam frequentiſſime transverſum agi, falli, perverti, perdi.

Indulgentiam quoque merentur, qui, poſtquam peſti interfuerant, minus perfectam, exactamque morbi hiſtoriam tranſcripſerunt. Laborum crebritas gravitasque eos ab obſervando diſtraxit. Ii, quos legi, phænomena ſymptomataque ſine ordine congerunt, varios decurſus nec notant, nec diſtinguunt, eruptiones cutaneas, petechias, bubones, carbunculos haud adæquate deſcribunt, morbos peſti coexiſtentes, coincidentesque & horum cauſas, ut plurimum prætervident, aut contemnunt, uni vacant miaſmatis expulſioni, cujus obſtacula nec ſatis conſiderant, nec ſemper removere ſatagunt. Naturæ vim inferunt. Medicamenta omnibus ægris fere eadem præſcribunt ſubinde inepta, non raro inertia, quandoque & perverſa. Suam interim laudem merentur. Ex eorum ſcriptis mature perpenſis, & exacte inter ſe collatis erui potuiſſet morbi adæquatior hiſtoria fructuoſiorque adornari therapia, ſi ſedulos inveniſſent lectores: verum quum eorum lugubrationes de inſolente raroque tractarent morbo, aut neglectæ, aut perfunctorie tantum lectæ fuerunt. Ipſæ ſcho-

læ Medicæ circa nullum morbum infrequentius occupantur, quam circa peſtem, quæ tamen acutorum princeps & culmen eſt. Ita omnino evenire oportuit, ut, qui pericula contemſerunt, ad curationem peſtis tyrones acceſſerint; nihil aut pauca anteceſſorum obſervatis addiderint, & quæ fors addiderunt, in eundem, quo priora, ceciderint neglectum.

Optandum certe foret, ut artis Proceres illuſtrandæ morbi theoriæ, firmandæque therapiæ eam, qua pollent, ingenii aciem & peritiam conferrent, diſcipulosque erudirent hac ſpe, ut ſi quondam calamitas in patrias excurreret terras, paratos habeat respublica viros, qui, quos teterrimus invaſerit morbus, magnam ſaltem partem reſtituere, & ſocietati ſervare valeant Verſati in praxi ſeniores, ſi peſtiferorum curam in ſe ſuſciperent. Quum enim ſtabilita gaudeant fama, citius & facilius plebis fiduciam obtinerent. Accedit, quod anni tempeſtatum, cœli, aeris, victus, conſuetudinis, propriæque incolarum loci infecti indolis notitia & conſideratio magni ſit in curatione momenti. Iſta autem & illa ſenioribus potiſſimum ineſt, qui quoque ex artis uſu ad multa phænomena attendere edocti ſunt, quæ minus experti aut non attendunt, aut ſaltem praxi applicare non norunt. Speciali vero ad ferendam peſtiferis opem tenentur vin-

culo, qui civitatum & provinciarum ſaluti præficiuntur, & annuo ſtipendio fruuntur. Qui ſentit commodum, ſentiat & onus. Neque tamen juniorum poplitibus parcendum eſt. Calamitas publica neminem eximit, ſed vellem eos ſenioribus adjungi, ut ab his obſervationum momenta ediſcant, & ex eorum conſilio rem Medicam faciant.

Verum quamdiu eadem, quæ noſtris temporibus exerceri ſolet, manebit politicarum diſpoſitionum ſeveritas; quamdiu morbi revelatio violenta ægrorum quidem in noſocomia, ſanorum vero in Lazareta detruſione plectetur, quamdiu ſupra enarrata, quæ medelæ applicationem impediunt, non tollentur, aut ſaltem non minuentur obſtacula; quamdiu denique aliis, quam quæ ad artis praxim ſpectant, laboribus prementur Medici, quidquid fecerint, nunquam inſignem exhibebunt reconvaleſcentium ſupra morientes numerum; proinde exiguum ex eorum induſtria & opera ſentiet Reſpublica emolumentum.

Interim omnibus Medicis, queis inpoſterum peſtiferis opitulandi animus erit, ſuadeo, ut negotia, quæ ad ſe non pertinent, pro virili declinent, ſuasque, antequam ſe exponant, res cum Magiſtratibus ſic agant, pangantque, ut moleſtiarum anſas prævertant, nimio ægrorum numero ſe opprimi non ſinant, omniaque

ſolatia & commoda certa faciant, quæ ad propriam incolumitatem, ægrorum tractationem, & felicem profectum conducere poſſe exiſtimabunt.

Chirurgis & Balneatoribus praxi interna, graſſante peſte, ſi unquam interdicendum, iique nonniſi ad bubonum & carbunculorum, aliorumque manu tractandorum malorum curationem adhibendi ſunt. Antidota enim obtrudendo, phlebotomias, emeſes, purgationes tanquam delendo, educendove miaſmati unica auxilia lucri ſpe jactando, viriſque, queis, ſe pares eſſe vellent, obtrectando plebem faſcinant, & velut alteræ peſtes plurimos letho mancipant, qui ſervari potuiſſent. Præterea ab iis, utut probi, ſuæque artis periti ſint, vix aliquod ægris juvamen aut medicinæ incrementum jure expectari poteſt, ſed tantum a Medicis. Quot & quantis poſſem hoc opuſculum ditare, & ornare obſervationibus, ſi in ſingulis locis, ubi peſtis ſimul graſſabatur, Medici fuiſſent conſtituti? Quantum alter ab altero potuiſſemus mutuari lumen? Quot fors prætermiſimus phænomena ab aliis obſervanda, quæ augendæ illuſtrandæque morbi hiſtoriæ, ſtabiliendæque therapiæ profuiſſent?

Non me latet ratio, quæ Magiſtratus movet, ut præferant Chirurgos, horum non tanti conſtat obſequium. Præterea tam vilis inter-

dum sunt conditionis homines, quos pestis invadit, ut horum salus vitæ Medici discrimine minoris æstimetur.


Verum præter ea, quæ mox ajebam, pro Medicis militat præjudicatio, plures ægros ab iis sanatum, omnemque operam, ut quantocius malum compescatur, navatum iri præ Chirurgis, quibus plerumque, ut ait Sanctorius, quo pestis major, eo gratior est. Sic amplius, quod Medico dabitur, stipendium aliunde abundanter resarcietur.

Absit tamen, ut Medicus ex lucri cupiditate tantum in se suscipiat onus. Emolumenta accedant, non moveant. Ante omnia apud se perpendat, an tanta polleat constantia & fortitudine, ut siccis oculis immotoque animo stragem, quam pestis edit, calamitatesque, quas secum trahit, intueri possit. Consideret perpetuum, in quo versari debet, vitæ periculum, morbi & mortis causam, quam in se & in suis vestibus apud quemlibet ægrum accipit, ubique secum fert, sic ut & domi forisque mortem invenire possit. Vivere & mori reputet lucrum. Nullumque ex suis laboribus expectet solatium aut præmium, quam quæ ex pietate in adflictos, ex benefactorum conscientia, & ex virtute nascitur voluptas, quam tandem æviterna gloria cumulabit, si ex religionis in Deum, charitatis in proximum,

& nostræ vocationis affectu ad pericula subeunda, mortemque, si ita supremo vitæ necisque Domino visum fuerit, fortiter oppetendam nos accinxerimus.

Prævia hæc, quam piæ preces comitari, & dirigere debent, instituta deliberatio non solum omnem, quam præcipitantia, & inconsideratio post se trahunt, conscientiæ criminationem, susceptique laboris pœnitentiam prævertet; sed etiam invictam gignet magnanimitatem, beatamque mentis tranquillitatem, insignia conservandæ sanitatis in peste præsidia. Si his mature perpensis formido angit, ærumnæ, laborque absterrent, animus concidit, aut vacillat, suadeo unicuique, ut stipendii, omnisque lucri cupiditatem deponat, ab infectorum consortio abstineat, &, si licet, sibi fuga consulat.

Nemo interim arbitretur, pestem opportunam esse Medico pecuniam congerendi occasionem. Annonæ caritas fere semper, quandoque & fames pestem stipant, quæ Medicum non minus premunt, quam ceteros. Deinde, nisi fors eum dura immitisque tenet avaritia, bonam partem stipendii egeni, pauperesque ut plurimum absumere solent. Non nego tamen subinde reperiri ægros, qui suo servatori gratificantur. Sicut & Magistratus, qui oneris, quod Medicus fert, gravitatem, periculi,



CAPUT I.

De origine, progreſſu, fatis, fine peſtis in Daciæ Tranſilvanicæ quibusdam locis ab initio Octobris 1755. ad finem Januarii 1757.



Martinus Gregorius Armenus, ex oris maris nigri, ubi ferramentorum noricorum, inter cetera falcium mercaturam excercebat, peſtem, de qua ſcribere aggredior, invexit. Inde Viennam Auſtriæ, ubi familiam habebat, meditans 30. Septembris 1755. in lazarethum Tœmœſenſe appulit, ibidem moram præſtitutam, *quarantenam* vocant,

exantlaturus (a). Horrorem, quo ſexto Octobris ſub veſperum corripiebatur, exceperunt ingens virium proſtratio, capitis & lumborum dolor, diarrhœa, & præcordiorum anguſtia. Poſtridie celebratæ venæ ſectioni (b) ſucceſſit intolerabilis ardor ad præcordia, & delirium. Applicatum clyſma nequicquam juvit. Nono Octobris horis pomeridianis inter deliria, anxietates & inquietudines haud intelligibilia effutiens obiit ſub finem diei morbi tertii, annum agens ſexageſimum quartum. Cadaver tumorem parotidis dextræ exhibuit.

Ei contubernales erant tres mercatores. De duorum fato nihil aliud conſtat, quam quod unus 20., alter 23. Octobris adhuc ſani Valachiam repetierint.

Tertius Bukureſtienſis nomine Radul Andrè repentina inopinaque Armeni morte mœſtitiam concepit, & 12. Octobris alternante horrore & calore, correptus eſt.

(a) Poſtea per exploratorem compertum eſt, hunc ipſum mercatorem in nonnullis, per quæ tranſivit, locis, peſtem diſſeminaſſe; nominanter in oppido Kimpina, quod biduo a lazaretho Tœmœſenſi diſtat. Caupo, apud quem divertit, & lotricis, cui lintea dedit lavanda, duæ filiæ ex peſte obierunt, & illud ipſum oppidum medio Novembri jam ultra triginta funera viderat.

(b) Poſtulavit ipſe æger venæ ſectionem, cui ſe aſſuetum, & quam ſe neglexiſſe aſſerebat. Quod autem poſt hanc & poſt clyſma omnia in pejus ruerint, non mirum eſt, quum vires jam proſtratæ magis adhuc labefactatæ fuerint.

Altero die dolorem querebatur in parotide dextra, quæ poſtea intumuit. Calorem internum & ſitim magna vi frigidæ lenire tentavit; ſecutum eſt leve delirium, quo non obſtante equum ſtravit, Valachiam repetiturus. Verum quum magnam pecuniarum copiam penes ſe haberet, datus eſt ei comes lazarethi miniſter, qui non ad confinia ſolum uſque, ut juſſus erat, ſed ad cœnobium, ſex circiter leucas diſſitum, *Sinai* nomine, ægrum deduxit, qui & ibidem mortuus eſt.

Miniſter cothurnos (a) ægri domum retulit & peſtem; nam altero ab ejus reditu die, 18. Octobris infans ſeſquiennis horripilatione caloreque correptus, 19. convellebatur, conſpicuo ſub axilla ſiniſtra bubonis germine, 20. aderant petechiæ lentis diametro mox rubræ, deinde lividæ, tandem nigerrimæ, quas dein mors ſecuta eſt 21. Octobris.

Eadem fere ratione tres alias proles ejuſdem miniſtri peſtis ſucceſſive ſuſtulit; in quarum ſingulis viſi bubones petechiæque, & in duabus carbunculi, in una quidem in brachio dextro, in altera in nate dextra.

(a) A cothurnis, quos procul dubio infans non tractavit, vix videtur derivatum eſſe miaſma: ſed potius ex veſtibus aut & corpore patris, qui, ut patet, cum ægro & mortuo plurimum converſatus fuerat. Ipſe vero prolibus & uxori infectis adſiſtens, manſit ſanus uſque quintam diem menſis Novembris, & peſtem feliciter ſuperavit.

Suſpecti primum, dein pro vera peſte agniti morbi propagationi tempeſtive obviam itum eſt. Mox enim lazarethum Tœmœſenſe a commercio vicinorum locorum, dein totum diſtrictum Coronenſem circumducti milites a ceteris Tranſylvaniæ partibus abſciderunt. Sicque malum, poſtquam viginti duos infecerat, ex his undecim ſuſtulerat, exeunte Novembri penitus extinctum eſt; nec poſt ibidem recruduit.

At forte convenerant una cum infecto in cœnobio *Sinai* duo opiliones Sztàn Fulga & Sztàn Inaſchul ſocer & gener, ſuburbium Coronenſe, quod a potiori incolarum numero Valachicum appellatur, & cujus ipſi incolæ erant, ex paſcuis repetentes; qui poſtquam morienti ejuſque exequiis adſtitiſſent, in lazarethum Tœmœſenſe non admiſſi, per ſemitas domum venerunt. Paulo poſt primus inopina morte tertio, alter decimo octavo Novembris inexpectato obierunt. Priorem dein ſecutæ ſunt duæ proles, a quibus in ceteros conſanguineos agnatosque lues derivata eſt.

Obtinui a Parocho Valachorum ſuburbanorum catalogum mortuorum ab initio præfati menſis ad initium Aprilis uſque. In quo exhibentur triginta defuncti, potior pars infantes, pueri & adoleſcentes, undecim ætatis virilis, & duo ſenes.

Sic occulte ſerpſit malum. Rumor tamen de obitu inopino nominatorum opilionum ad notitiam ſtabilitæ juſſu regio in Tranſylvania

in rebus ſanitatis Commiſſionis pervenit. Et de eo interpellatus eſt Magiſtratus Coronenſis. Verum civitatis poliater ſeu a propinquis defunctorum deceptus, ſeu minus ſagax fuerit, nihil retulit, quod minimam potuiſſet dare peſtis ſuſpicionem.

Sub initium Februarii extincta a duobus menſibus in Tœmœs lue, nulloque ejus indicio uſpiam, ut credebatur, præſente, revocantur ad ſtationes excubiæ, & reſtituitur interrupta nuper cum vicinis locis converſatio.

Vidi ſeptimo menſis dicti urbem Coronam velut de ſoluta obſidione exultantem, omnisque periculi, quod imminebat, ſecuram. Audivi acerrima dicteria, protervasque cavillationes, quæ ex cupiditate, aut privato odio, peſtilentiæ notam lazaretho Tœmœſenſi & toti diſtrictui Coronenſi ſuſpicionem temere inuſtam fuiſſe propalabant; nec deerat rationum aſtutia, quæ incautos faſcinaret. Aiebant peſtem non adeo eſſe mite malum, quod tam cito extinguatur; mortuos quidem undecim in Tœmœs, at non ita ſubito, & totidem reconvaluiſſe; ex his aliquot non adeo ægrotaſſe, quam incommode habuiſſe; immo vix domi ſe continuiſſe. Tumores parotidum, & in inguinibus & ſub axillis, haud raros eſſe, & vix non quotannis apud Valachos obſervari, utpote, qui inter ſordes vivant, & abſurda quæque in cibum trahant: anthraces viſos haud tales fuiſſe, ſed furunculos.

Interea pedetentim invalescebat pestis, quam quum dicacitate aut occultatione compesci posse desperaret Magistratus, exeunte hoc ipso mense Februario, Chirurgum conduxit, qui ægrorum suburbii haberet curam, quam poliater tanquam periculosam, aut saltem onerosam, procul dubio detrectabat. Chirurgus, ut mihi postea fassus est, septem ægros bubonibus notatos mox invenit. Vidit & carbunculos, at hos & illos pro tumoribus vulgaribus habuit. Eum enim Medico plus sapere haud decebat.

Sub initium Aprilis fama recelaverat duos viros, duosque pueros cum bubonibus ægrotasse & convaluisse; super quibus interrogatus respondit Magistratus ita esse, id autem mense Februario evenisse; bubones autem vulgares, nequaquam pestilentes fuisse tumores.

Tandem exeunte eodem mense eo pervenerat malum, ut neque diutius celari, nec, quale erat, revelari posset. Animadversionem enim præteritæ socordiæ, & culpam futuri eventus ex æquo metuebat Magistratus; præterea publice nuper assertos, nunc recantare errores arduum & indecorum existimabatur. Opportunum accidit, ut septem, sat sibi vicinæ, domus infectæ forent; quas ut de novo morbo suspectas inclyto sanitatis consilio denuntiavit senatus; perhibens hos a prioribus similiter affectis neutiquam labem contraxisse; morbi originem a Valachorum pauperie, perpessis nupera hye-

me miseriis, (a) rigorosa, quam gens servat in quadragesima, abstinentia, prava diæta, repetendam esse. Huic relationi adjungebatur Medica, ubi poliater cum alio Medico, & civitatis Chirurgo ægrorum statum, quos visitaverant, renuntiabant. Horripilationum, calorum, sitis, bubonum & petechiarum meminerant. Cetera symptomata eorumque nexum & decursum reticebant, & a morbi denominatione abstinebant.

Atqui ut aliquid fecisse videretur Senatus, domos infectas circumducta virgultorum tres circiter pedes alta sepe (b) a vicinarum consortio divulserat, aliquot vigiles apposuerat, infectisque Chirurgum duosque ministros in ægrorum solatium intra claustra constituerat; confidebatque his cautelis progressum mali, quod, ut ajebat, aliis temporibus circumstantiisque non adeo grave haberetur, præpeditum iri.

Verum male accepit sanitatis consilium, quod Medici morbum obscure & inconcinne descripserint, nec ullo nomine insigniverint. Dedit igitur mandatum, ut hunc defectum supplerent;

(a) Nulla fuit annonæ caritas, neque ulla insolita apud Valachos miseria aut paupertas. Magistratus tamen hanc tanquam mali causam obtendebat, & eam ab inhibito commercio derivabat; sicque consilii sanitatis optimam providentiam tacite incusabat.

(b) Vah egregium adversus pestem præsidium! quod interclusi facile transilire, & ita cum extraneis saltem noctu conversari poterant.

adjunctusque est tertius Medicus, ut mutuis consiliis de indole, natura, decursu, & appellatione morbi tanto fidius certiusque renuntiarent.

Neque sic obtentum est, quod postulabatur. Tres Medici haud multo clariorem morbi ideam suppeditaverunt quam unus, eo tamen singulorum coaluit opinio, morbum illum esse suspectum & contagiosum, ex genere febrium malignarum exanthematicarum. Ulteriorem vero propioremque denominationem a tempore, & futuris rerum circumstantiis expectandam esse. Ceterum asseverabant, in toto suburbio eum morbum nullibi prius observatum, in una, ex occlusis, domo initium sumpsisse.

Aderam, ut supra innui, ob ortam in Toemoes pestem ab Augustissima Imperatrice huc missus, ut, si forte latius serperet, auxilium ferrem infectis. Qui tunc sanitatis consilio assidebat Medicus, suam mihi de morbo opinionem aperuit, eumque veram esse pestem se non dubitare prædicabat. Et quomodo dubitare potuit, qui anno 1738 pestiferis hic Cibinii expositus fuerat, pestem in proprio corpore expertus erat, eandemque paucis abhinc mensibus declaraverat. Ut quid ergo nunc ita a seipso mutatus cespitat? Cur controversias altercationesque non dirimit? Credo nuperrimis, quibus eum Coronenses petiverant, calumniis dicteriisque fractum, ulteriori famæ suæ detrimento obviam ire voluisse; forte eriam prævidebat

ſuam, quam in ſinu fovebat, ſententiam vix apud proceres aſſenſum eſſe nacturam; præprimis quum Coronenſes Medici non ſolum civitatem, ſed etiam religioſas militaresque perſonas in ſuas partes traxiſſent. Omnes itaque ejus conatus eo tendebant, ut illi cum ſuis ſequacibus experientia convicti, morbum, qui in ſuburbio caput extollebat, pro vera peſte agnoſcerent. Quomodo autem Coronenſes ejus intentum eluſerint, ex dictis patet.

Magis profecto famam in tuto collocaſſet, ſi ſuper re adeo gravi alios indubiæ fidei notæque peritiæ in conſilium adſciviſſet Medicos.

Vivunt & hic adhuc degunt militiæ in Tranſylvania Cæſareæ Medicus, & hujus metropolis olim poliater, nunc Conſul, quorum primus anno 1738. plurimos milites infectos curaverat, alter tunc civibus infectis opem tulerat. Hi utique omne, ſi quod reapſe fuit, de morbi indole & nomine dubium ſuſtuliſſent; quo ſublato potuit malum, ſeparatione ægrorum a ſanis, in infantia, ut ita dicam, ſuffocari.

Pertæſus harum controverſiarum ſupremus tunc armorum Præfectus & conſilii ſanitatis Præſes, jubet Coronam petam, morbum inveſtigem, referam, & vero nomine inſigniam.

Decimo nono Maji ingreſſus clauſtra invenio ex bubonibus reconvaleſcentes plures, unicum, qui eo ipſo die ægrotaverat. Mox hiſtoriam morbi, prout eam expiſcari a rudibus licuit,

exaravi & submisi, ab imponendo tamen nomine abstinui. Dilationem suadebant experientiæ defectus; ignorantia morborum hujus principatus endemiorum, aut & forte anni hujus epidemicorum, eorumque indolis; tum & reconvalescentium, quos videbam numerus; paucitasque mortuorum notorum; anthracum absentia. Hinc contentus fui, Medicos Cibinienses interpellare, utpote quibus experientia notitiam mea majorem haud dubie suppeditare debuerat. Verum, nescio qua de causa, in consilium vocati non sunt.

Interea præfati ægri, ejusque postea viduæ morbum, quem fere ab initio observaveram, exaravi & itidem misi.

Paucorum, qui dein occurrerunt, ægrorum sero notitia ad me pervenit; aut enim infantes erant; aut semimortui a foris adferebantur ex diversis suburbii plagis; manifesto indicio malum, non indicatas domos tantum, sed etiam multo plures occupasse: peste ipsa Coronensium assertionem refellente.

Tandem sexto Junii ex propriis observationibus, in quarum censu duo anthraces erant, morbum hunc veram pestem judicavi & scripsi: ringente nequicquam tota civitate & Medicis. Inter quos unus non mediocris peritiæ opinionem, quam autopsias fide firmaram, longa sophismatum serie refellere adnisus est. Alter, quod pestem negando audacter tulerat, judicium

nunc suspendit; docendus, ut ajebat, a tempore & eventu, cui opinioni adhærere tuto posset. Poliater vero, quid sentiret, scripto non manifestavit.

Jam sub finem Maji elapsus ex suburbio Valachus in oppidulum Tartlau, quod milliare Corona distat, intulerat pestem, cui non adeo cito obviam iri potuit, quin prius aliquot domos ibi commorantium Valachorum invaserit; penes quos tamen constitit malum cura & vigilantia civium, qui Saxones sunt: ii enim infectas domos mox altis vixque superabilibus sepibus circumcluserunt, & vigilibus muniverunt, eo successu, ut jam ineunte Octobri pestis extincta fuerit. Salutarium dispositionum Author & Director fuit loci in divinis Minister, qui ideo a sua Majestate numismate aureo postea donatus est.

Obscurum est, quomodo lues septem alios pagos districtus Coronensis & duos Fogarasiensis invaserit; nec magni refert, an ex Valachia, ubi itidem pestis grassabatur, an ex ipso suburbio, aut aliunde derivata sit.

In his locis constitit malum: circumfusæ enim opportunum vigilum coronæ omnem commercii necessitudinem cum illibatis inhibuere; sicque malum intra angustos hos limites coercuere. Nunc revertor in suburbium.

Novi vix non quotidie adducebantur intra prima sepimenta ægri, quibus recipiendis duæ

domus, potius tuguria, superbo nosocomii titulo, vacuata quidem fuerant, at nullatenus instructa. Recordor indignabundus, me lecticas, stramen, cochlearia, cyathos, ollas, tres circiter hebdomadas frustra sollicitasse, senatu omnia semper pollicente, at nihil præstante. Ut enim promittendo promptissimus, ita præstando segnissimus erat.

Quum vero in dies magis magisque forinsecus fureret lues, mox usu & dignitate concidit hoc nosocomii simulacrum. Ergo vigesimo primo claustris exire jussus duodecim invisi domos peste afflictas, hinc inde sparsas; postridie unam puellam reperi octodecim circiter annorum prope forum jacentem; a qua ne verbum quidem extorquere potui: quumque parentes causam morbi & dolorem, quem versus pudenda querebatur, a menstruis fluxum meditantibus, repeterent, ex serie vero narratorum symptomatum bubonem latere suspicarer, exploraturo quid rei esset, ægra alapam impingere tentavit. Inexpectati casus novitas me perculit quidem, non tamen terrefecit. Sequentibus diebus levis lassitudo, torpor, capitis gravitas, calor sine ordine recurrens, anorexia adflixit, quæ quum sexto, septimo, & octavo hujus mensis expertus essem, sponteque evanuissent, omnis eram noxæ securus.

Vigesimo tertio horis matutinis redeunti ex visitatione hominis in quadam valle, ab habitatio-

ne mea mediam horam diſſita repente mortui, offertur cadaver mulieris ſexagenariæ, ut judicem, an peſte, an alio morbo mortua eſſet, & dum jubeo ſuper abdomen verti, ut dorſum conſpicerem, teter me affecit ex cadavere fœtor, in prandio vix aliud ſumſi præter jusculum, quod jam faſtidiebam, dein ſomnum cepi, qui irrequietus erat, quem abrupit levis horripilatio. Sumſi infuſi Theæ tres quatuorve cyathos. Manebat in ſomnum propenſio, cui lubentiſſime ſatisfeciſſem, niſi vetuiſſet, quam ſequente die ſummo mane mittere debebam Cibinium, relatio, cui exarandæ mediam noctem inſumſi.

Vigeſimo quarto mane a ſanitate alienum nihil plus, quam pridie, experiebar; verum dum ſedendi ergo femora flecto, dolorem in inguine dextro valde lenem percipio, quem gradiens non ſenſeram. Aderat germen bubonis piſi magnitudine & figura, poſt aliquot horas fabam referebat. Vires tamen omnino conſtabant; hinc ægros extra & intra clauſtra inviſi: vix ulla febris, caput tamen dolens grave, & hebes. Debilitas a meridie jam major & laſſitudinis ſenſus, dolor in bubone major. Sumſi veſperi eſſentiam alexipharmacam, cui infuſum ſuperpotavi; ſomnus fuit ſat tranquillus.

Vigeſimo quinto mane laſſitudo remiſiſſe videbatur; hinc ægros intra clauſtra inviſi; ſenſim poſtea aucta ſunt præfata ſymptomata, quibus poſt acceſſit lumborum dolor, levis circa

præcordia anxietas, & omnis cibi faſtidium. Febris manifeſta. Nox valde fuit inquieta; & jam aderant delirii initia.

Vigeſimo ſexto mane corporis & mentis vires adhuc ſiverunt, ut domo egrederer ad triginta circiter paſſus, & Sacerdoti, cui clauſtra intrare non licebat, ad diſtantiam aliquot pedum noxas animæ patefacerem. Horis pomeridianis vexabat nauſea cum inſigni oris amaritie; ſumſi proprio motu unciam mellis ſcillitici; a vomitu major cephalalgia, debilitas & continuus ſopor.

Vigeſimo ſeptimo remiſerat capitis dolor. Quæ aſſumebam, mox vomitu rejiciebam. Ac. ceſſit diarrhœa ſat frequens, quam excepit

Vigeſimo octavo inſigne levamen, quod ſatis rationis & virium dedit, ut propria manu ſcribere, & Medicorum Coronenſium valuerim implorare auxilium. Bubo aſſurrexerat. Vomitus ceſſaverat; alvi fluxus infrequentior erat.

Vigeſimo nono & ſequentibus in feroci verſabar delirio.

Tertio Julii mane petechiæ numeroſæ fuſcæ, lente paululum minores pectus obſidebant; queis nova ſe junxit diarrhœa. Bubo immotus. Circa veſperam petechiæ erant copioſiores ſupernataque buboni veſicula carbunculum prænuntiare credebatur. Vires labaſcebant & extremorum refrigerationes aliquoties infeſtabant: applicabantur veſicatoria ad ſuras. Delirium in

furorem degeneravit, ſic ut miniſtri, jubente Chirurgo, me vinxerint. Novitate rei attonitus reſipui, & precibus vinculorum ſolutionem impetravi. Quietus manſi, ſicque

Quartum diem Julii pacate tranſegi. Petechiæ rubeſcebant, bubo increſcebat, & horis pomeridianis mens redibat, ruptæ veſiculæ fundus pollicis fere diametro nigerrimus erat. Alvus nihilominus fluebat, ſed moderate. Cibum appetebam. Veſpere quam ſuadebat Medicus, qui ex Chirurgi relatione gerebat mei curam, ſcarificationem in bubone admiſi. Nox pacata fuit & ſomnus optimus. (a) Præter maximam corporis & mentis debilitatem, quæ litteras pingere & combinare vetabat, angebat

(a) Tam abnormem morbi decurſum in nullo ægro obſervavi; viſitationes ægrorum, & ſcriptitationes plurimum ad illam anomaliam fecerunt. Dein applicatio emplaſtri magnetici ad bubonem, vires, quum ceteroquin jam nimiæ eſſent, dolorem adeo auxit & febrem, ut amoveri & cataplaſma ſubſtitui debuerit; ſed & hoc ab imperitis miniſtris calidiſſimum applicatum fuiſſe probe memini, & credo veſiculam illam buboni ſupernatam inde ortum duxiſſe. Carbunculi enim tam ſero non naſcuntur; præterea nec caro veſiculæ ſubjecta, nec ejusdem peripheria inflammata fuit, multo minus in eſcharam abivit; quæ duo tamen in omnibus carbunculis obſervantur. Patet quoque, cur bubo in ſuppurationem abire nequiverit. Ceterum hanc hiſtoriam ab eo tempore, quo mens defuit, excerpſi ex relationibus Chirurgi, qui forte ſymptomatum ſucceſſionem non accurate notavit.

adhuc dolor musculorum infernis costis annexorum, simillimus ei, quem verberati sentiunt, qui tamen pedetentim evanuit. Alvus pertinaciter clausa clysmate reserari debuit. Ultra mensem mentis stupor & cogitandi ineptitudo remansit: moxque vertigo minitabatur, ubi vel horæ quadrantem legebam aut scribebam.

Remedia, quæ delirans accepi, fuerunt analeptica, quorum virtutem, ubi vires fatiscebant, prudenter auxit præfatus Medicus, sicque me ex peste, quam adhucdum negabat, in faucibus orci hærentem, letho eripuit: cui proin hic publicas testor gratias pro ea, quam magno suæ peritiæ argumento tulit benevolus opem.

Bubo haud multo majorem ovo acquisivit magnitudinem. Non abiit in suppurationem, sed fecit nucleum scirrhosum, quem a vivis partibus natura abscidit. Ulcus exeunte Augusto solum consolidatum est, profundam relinquens cicatricem.

Primo Julii mensis convenerant supremus armorum Præfectus & quidam proceres ad fluvium Burziam, qui districtum Coronensem alluit, & cujus sinistram ripam occupabat militia. Ad dextram se quoque contulerant urbis Coronæ Primores, quibuscum, quid præsentes rerum circumstantiæ postularent, deliberatum & conclusum est, imprimis de annona, & de infectorum separatione. Mox ubique constituebantur Commissarii, qui locorum infectorum incolis, ægri forent aut sani, vitæ necessaria subministrarent,

omnia-

omniaque ordinarent, quæ compescendo malo idonea videbantur.

Hinc in suburbio duæ domus in nosocomii vicem vacuabantur, & debita supellectile, lente tamen, instruebantur. Tum & tertia in eundem scopum cœpit ædificari, quæ nonnisi sub finem Octobris perfecta est.

In mei ægrotantis vicem successerat vir medicinæ & Chirurgiæ æque peritus, principio quidem meticulosus; post vero ægris auxilium ferendi studio nimis ardens, ordinisque vehemens æmulator: hinc optimum virum afflixit Valachorum contra medelam renitentia; afflixit Magistratus in instruendis nosocomiis segnities; afflixit tandem vel maxime, quod, quum vigesimo octavo Julii sub vesperum nuntiatum esset, ægros ex civitate educendos esse, eosque visitandi ergo ante portam se ex mandato contulisset, tres horas frustra expectaverit; ægris postridie demum sub auroram eductis. Quod quidem in sui contemptum fieri reputans, vehementi præcipitique excanduit ira & Vice-præfecto civitatis, qui rerum contagionis provinciam gerebat, acerbe scripsit; ab eodem vero multo acerbius accepit responsum. Ergo ut exulceratum leniret animum, Baccho ultra consuetudinem litavit, & trigesimo lue correptus circa decimam horam vespertinam inter somnum levem brevemque horripilationem sensit. Postridie mane aderat bubonis germen in ipsa linea in-

guinali dextra, phaseoli magnitudine & figura, nonnisi ad tactum dolens. Magna in artubus præsertim inferioribus debilitas, potissimum in genubus cum insigni lumborum dolore. Levissima capitis hebetudo. Pulsus a sano vix alienus. Sumsit, quem ægris porrigere solebat pulverem ex moscho & camphora, quo itidem in prophylaxin utebatur.

Primo Augusti sub poplite dextro orta est vesicula carbuncularis cum insigni ambustionis sensu. Calor magnus, pulsus celerior, elatus, irregularis, sitis tamen modica. Iisdem institit remediis, quibus solis confidebat.

Secundo: carbunculi inflammatio ex voto pergebat & eschara latius serpebat, cum insigni dolore.

Tertio: hinc febris magna, item & calor cum siti fere inextinguibili: pulsus durus, vix elatus. Respiratio magna & rara.

Quarto: totam noctem inter lenes mentis alienationes transegerat æger: accessit frequens diarrhœa & vomitus, a quo se levamen accepisse referebat.

Quinto: sitis æque intensa, ut heri; continuabat diarrhœa, cui ut succurreret æger, duos scrupulos corticis peruviani sumsit. Delirium mite, a quo, dum interrogabatur, resipiscebat, pulsus debilis, celer, vires prostratæ. Carbunculi peripheria subsiderat. Noctem egit insomnem.

Sexto: omnia deteriora: carbunculi margo omnino collapſus, lividus. Applicabantur ſine effectu veſicatoria, quæ æger heri reſpuerat. Acceſſerunt horrores vagi, frigidi. Hora nona veſpertina miſeriis hujus vitæ finem attulit, & initium æternæ, quam anhelabat æger, qui peſti menſem integrum interfuerat.

Hoc exemplum doceat Præpoſitos, quantam mereantur Medici & Chirurgi, qui ceteroquin in perpetuo verſantur vitæ periculo, indulgentiam; etiamſi reapſe peccaverint. Lex humanitatis vetat afflicto addere afflictionem, quæ morbo atrociſſimo mortique occaſionem præbere nata eſt. Accedit & conſideratio obſequii, quod præſtant Reipublicæ, tum & illa, ſi, ut pronum eſt, peſtis cadant victimæ, eos metum periculi omnibus, nemini, quam acquiſivere, peſtis notitiam relinquere.

Circa hæc demum tempora victam veritate ſe faſſa eſt affectata pertinaxque ignoratio: jamque cœpit peſtis a Coronenſibus appellari morbus, quem antea ſolum ſuſpecti nomine indigitabant in omnibus reſponſis mandatisque, quæ Corona accepi: in relationibus autem, quæ commiſſioni ſanitatis exarabantur, dubitationis oſtenſio offenſionem incurriſſet, quia Summæ Principis authoritate in eos, qui peſtem negaverant, fuerat animadverſum.

Ergo ſupinæ pœnitentia ſocordiæ, metus incendii domi jam gliſcentis, ardor reparandæ

culpæ, omnium jam incesserat animos. Hinc nihil non tentatum fuit, quod coercendo malo utile videbatur. Potissimum separatio ægrorum a parte incolarum adhuc integra omnium erat meta conatuum: quumque duæ domus, ut supra innui, pro nosocomiis præsto essent, sexaginta circiter lectorum capaces, promulgatur per totum suburbium mandatum, quo jubebantur omnes incolæ, suos ægros tradant ministris in nosocomia transferendos: verum plebs mox coire, vim vi propulsando se accingere, ministros, quin & duces Chirurgos lapidibus petere, suas domos occludere, & omne medicinæ auxilium magis, quam unquam, abhorrere & abominari cœpit: furorem auxit ministrorum inhumanitas, qui unum alterumve ægrum, ob defectum currus aut sedilis, semivivum per plateas raptaverant.

Hinc tantum ii, quos ministri intercipiebant inopinos, adferebantur in nosocomia, quæ sic tamen impleta sunt ægris; utpote, quæ nec vigesimam quidem eorum partem capere poterant, nam toto Augusto decem, duodecim, quin & viginti quotidie videbat suburbium funera; proin & multo plures erant ægri; e quibus qui emergebant, usque dum perfecte convalescerent, tres, quatuor, immo nonnulli sex & amplius septimanas curari & retineri in nosocomiis debuerant.

Ab optimo itaque, at nimis ſero, conſilio deſtitutum, & totum ſuo & peſtis fato derelictum eſt ſuburbium; quo civitas ipſa & reliqua duo ſuburbia ſuos ægros ſuſpectosque rejecerunt, eo ſucceſſu, ut incendium jam jam in vivas flammas erupturum, ibidem tempeſtive reſtinctum fuerit. Sic ipſa docuit Coronenſes experientia ſe malum compeſcere, & centenos centenosque homines Reipublicæ ſervare potuiſſe, ſi mens non læva fuiſſet.

Sub initium Auguſti appulerant Vienna juſſu Auguſtiſſimæ Clementiſſimæque Principis quatuor Medici D. D. Antonius Bruckmann, Petrus Poltzer, Antonius Cotſchener, & Antonius Kolbeck, quorum primus mihi datus in ſocium, alter conſiliis adſtiturus Coronam miſſus, tertius ſiniſtræ Burziæ oræ adjacentes pagos inſpecturus, quartus denique in omnem eventum hic Cibinii ſervatus eſt.

September velut aeris æſtu ita & luis ſævitie infamis fuit. Funerum numerus uno die ad triginta tria adſcendit. D. Bruckmann noſocomiorum ægros, ego privatos curabam; aut potius ſolum inviſebam; plurimi enim jam extra periculum erant, aut animam agebant: poſtea tamen ubi noſocomii metus evanuerat, paulo liberior & felicior fuit praxis.

Menſe Octobri exeunte lætior erat rerum facies. Et ſub medium Novembrem omnes pri-

vatarum domorum ægri, qui jam pauci erant, in nosocomia tracti sunt.

Hinc remittente omnino lue latentis fors adhuc in fomite miasmatis extinctioni invigilare jussus sum: quæ provincia multo graviores acerbioresque facessivit, quam ipsa pestis, molestias. Nam erat in mandatis 1mo, ut quas infecti gesserant vestes, omnisque, qua usi erant, supellex, ignibus traderetur. 2do. Reliqua, quæ a suspectis, dum ægris assisterent, in usum tracta, aut in domo infecta hæserat, aqua & suffitibus purganda erat per quadraginta duos dies continuos. 3tio. Domibus infectis ad tres septimanas, dum lustrarentur, migrare & in alias haud suspectas transferri, & 4to toto hoc tempore ab omni tum inter se, tum cum illibatis consortio abstinere debebant incolæ.

Quam autem in gente immorigera, malo perpesso potius exacerbata quam victa, pauperrima, omnique ad mutationem vestimento destituta, in loco ubi jam inde a principio omnia susque deque miscebantur, ubi numquam ordo, sed sempiternus horror habitavit, hæc omnia præstare arduum fuerit, haud ægre conjicitur; præsertim si simul consideretur, nullos fuisse vigiles, qui plebem refrænarent. Multum tamen juvit Regia liberalitas, quæ pauperibus & egenis ex ære publico novas vestes suppeditavit.

Exeunte Novembri nacti sunt Coronenses nos acerbe corripiendi occasionem; qui sufficiendis litteris præpositus erat, prehendebatur febre, quam eadem, ut pronum est, stipabant, quæ pestis initium sunt, symptomata. Præcipua erant inedia, cephalalgia & hebetudo, tum & lumborum dolor; pestis suspicionem augebant, quod postridie commessatum fuisse cum incolis suburbii ægrum compereramus. Nobis vero utpote expositis interdictum erat usu cum ceteris hominibus non infectis, proinde & cum præfato commissario.

Re apud nos serio perpensa D. Bruckmann eum adivit, nam tantum a longe, uxore interpretante statum ægri hucusque intellexeramus. Mittebatur Coronam tres dies subsequentes relatio de ancipiti morbo. Tandem etiam de recuperata sine pestis signo sanitate.

Mox, qui hucusque conticuerat, restinguendæ luis ardor in acerrimas exprobrationes sese effudit; quasi nos, queis cautelarum observationi invigilandum esset, easdem violare attentaremus, & velut de industria malum propagare adniteremur.

Profecto nihil iniquius hac animadversione excogitari potuit. Nam præterquam quod tantum per interpretem primum innotuerit ægri status, desunt indicia, quæ pestem, dum sub specie febris continuæ simplicis incessit, ab hac indubie distinguant. Deinde, ut quid ex-

probrant nobis ignorantiam Coronenſes, qui malum etiam tum non agnoverant, ubi Valachi idiotæ ne hilum quidem ambigebant? Præterea an non manifeſta erat calumnia, quæ nos mali provectionis inſimulabat? Denique ſiquidem peſte expoſiti Medici ægros vulgaribus morbis decumbentes inviſere non audent, nonne ipſe poliater Coronenſis, aut alter in ſuburbio adeſſe debuiſſet? An ergo ſatius erat præfatum Commiſſarium ſuo relinquere fato, quam eidem mox in principio ſuppetias ferre? Hæc omnia in præſentia tertio Decembris regeſſi nos culpantibus; qui obmuteſcendo ſuæ malevolentiæ faſſi ſunt turpitudinem.

Senſim & ſenſim minuebatur ægrorum numerus, & inter eos, qui adhuc in noſocomiis erant, plerique nihil a ſanitate alienum habebant præter bubones carbunculosve nondum perfecte ſanatos; hinc ſuſpectam habuere Coronenſes fidem noſtram, tamquam ſi turpis lucri, ſtipendioque diutius potiundi gratia ſub ægrorum nomine ſanos retineremus. Clanculum itaque quid reapſe eſſet, inquiſitum eſt, quod quidem nos tanto magis afflixit, quod ſingulis ſeptimanis exhiberemus Tabellas de unoquoque ægro, & ejusdem ſtatu. Exploratoris relatio nos a calumnia vindicavit & invidorum confudit improbitatem.

Vigeſimus tertius Decembris dies, tres novos advexit in noſocomium infectos, ultimas,

ut ſperabamus, peſtis reliquias; at vigeſimo ſexto Januarii duos virum & uxorem impetiit; Saxones & hos quidem ultimos, compertumque eſt poſtea, a vespillonibus, dum eos noctu inviſerent, luem contraxiſſe. Sic quæ a Valachis in hoc ſuburbio initium ſumſerat, apud Saxones (a) deſiit. Cætera enim loca jam dereliquerat.

Claudat hoc caput ſequens Tabella peſte infectos, mortuos, reſtitutos exhibens.

(a) Peſtis initio Maji duos ægrorum miniſtros Saxones intra clauſtra corripuit, & vita donavit. Dein menſe Junio unus & alter itidem Saxonum, qui ægros ſuburbii intra clauſtra promovebant, malum contraxerunt, & ad ſuos tranſtulerunt. Saxo erat puella, a qua veroſimiliter peſtem contraxi. Sic ſenſim ſerpſit apud Saxones peſtis, queis, quod ſerius apud eos diverterit, non ideo tamen ſe mitiorem oſtendit. Ex eodem enim infectorum numero tot, cæteris paribus, perierunt, quot Vala-chi, velut ex catalogis peſtiferorum me demonſtrare poſſe confido. Pauciores quidem infectos fuiſſe non mirum eſt: nam ex nongentis circiter ſuburbii familiis vix ducentæ ſunt Saxonicæ, eæque animarum numero totidem Valachicis inferiores. Saxonibus enim prolium numerus minor plerumque eſt. Quod autem peſtis eos ſerius invaſerit, nemo itidem mirabitur, qui conſideraverit eos minus convenire, niſi forte ſub dio cum Valachis, quam hi inter ſe; qui præterea tum nationis amicitia, tum conſanguinitatis, affinitatis, vicinitatis religionisque vinculis mutuo conjunguntur & ſimul a Saxonibus divelluntur. Ergo pronum fuit, ut allata per Valachos peſtis apud eosdem propagaretur primo, & ſerius devolveretur ad Saxones, quorum, ut dixi, unus alterve ex conſortio cum Valachis malum tandem retulit. Quæ omnia ſi attendiſſent Medici Coronenſes, pro ſua opinione peſtem negante, defectum vel paucitatem infectorum Saxonum, credo, non obtendiſſent.

		Infecti	Mortui	Restituti
Districtus Coronensis.	In Civitate, duobusque suburbiis Altstadt & Blumenau.	62	51	11
	In suburbio Valachorum	2532	1711	821
	in Oppidulo Tartlau.	114	62	52
	In quatuor Pagis, vulgo dictis una cohærentibus, Türkœs, Hoszuf. Czernatfalu, Batsfalu, Hortis & Molendinis vicinis.	2777	1589	1188
	in Pago Petersberg.	178	128	50
	- - Czerneſt.	711	522	189
	- - Zaizon.	112	82	30
	- - Honigsberg.	10	9	1
Districtus Fogarasiensis.	- - Pojana Morului	127	109	18
	- - Holback.	54	40	14
	Summa	6677	4303	2374

Oſtendit hæc tabella duos circiter trientes infectorum periiſſe, inæqua tamen, ſi ſingula loca ſeorſim ſpectentur, proportione. Suburbium Valachorum, quod nos Medicos habuit reſtitutorum numero, cetera loca, ubi Chirurgi erant, nequaquam antecellit. Verum ut obſcurum eſt, an hi multorum morti ereptorum gloriam ſibi jure arrogare queant, tanto confidentius noſtræ methodi præſtantiam demonſtrare valeo. A primo meo ad peſtiferos ingreſſu ad extinctionem luis uſque duos per ſeptimanam exaravimus ægrorum, quos in noſocomiis domibuſque privatis curabamus, catalogos, nomina, ætatem, ſexum, præcipuaque ſymptomata recenſentes. In his palam fit, nobis tantum 414. obtigiſſe, horum 172. occubuiſſe, 242. reconvaluiſſe. Ergo ſaltem eo profecimus, ut plusquam media pars letho erepta ſit. Sed noſtrorum ægrorum bona pars, quum morbum unuſquiſque celaret jam inter mortis brachia & extra artis poteſtatem, ubi adducebantur, aut adveniebamus, collocati erant, ut ex dictis catalogis oſtendere præſto ſum. Et vero ut ut Medicinam plebis genio accommodam facere omni via modoque niteremur, in pauciſſimis confidentiam & obſequioſam ægrorum, adſtantiumque obedientiam impetrare valuimus.

Expertus ſit oportet, qui credat, quanta plebis ruditas, obſtinatio, pauperies, diætæ difficultas, perpetua novarum turbarum ſucceſ-

ſio pepererit auxiliorum applicationi, & applicatorum profectui obſtacula. Temere vero, ne dicam malevole, ſiniſtri caſus adſcribuntur arti, quæ aut applicari nequivit, aut applicata, ab externis ſuo ſcopo decidere debuit. Accedit ipſa acuties morbi, cujus proin ſanatio in celeritate potiſſimum conſiſtit. Sane ſi Medicis & ægris eadem daretur, quae eſt in morbis vulgaribus, libertas, ſi divitum miſericordia neceſſariam ſupellectilem, & reliquas curationis commoditates ſuppeditaret; vix credo, ne octavus quidem quiſque ex illis periret, queis ars tempeſtive & debite ſuccurreret.

Et vero ambigo, an legum prophylacticarum, quæ in loco peſte infecto eripiendis periculo ſanis exercetur, ſeveritas plures præſtet immunes, quam eadem morbo mortique adſciſcat. Obſtupui, dum legi in hiſtoria peſtis Viennenſis nonum quemque tantum ægrum in civitate evaſiſſe, ubi tamen erat Medicorum apud infectos copia, ubi in Noſocomiorum inſtructione nihil deſiderabatur. At mirari fere deſii, dum inhumanum, ſi dicere fas eſt, ardorem conſiderabam, quo ægri & cum his converſati, per plateas conquirebantur, prehendebantur, abducebantur.

CAPUT II.

Pestis Generalia.

Orientales maris mediterranei oræ, hisque adjacentes regiones, ab omni ævo pestis frequentia infames fuere, vixque Europa peste unquam adflicta fuit, quæ primitus inde derivata non sit. Lues ibidem non moritur, sed quotannis fere alicubi viget. Sanissimàque tempora habentur, non quæ nulla, sed quæ non magna hominum strage insigniuntur. Sic referunt (a) principum Oratores, rei mercariæ protectores, mercatores, itinerantes. Idem experiuntur Nationes, queis cum imperio Ot-

(a) Quotannis ex quo in Transylvania dego, similes relationes de peste in imperio Turcico prope aut eminus grassante ad inclytam in rebus sanitatis commissionem pervenerunt: vix tamen adeo firmas credo, ut dubitationem tollant; an non forte miasma pestiferum ibidem uno alterove vel pluribus annis lateat iners omnino; dein a certis causis excitetur, eadem fere ratione sicut miasma variolosum, saltem intuitu cujusdam regionis per notabile temporis intervallum quiescere, tandem & resurgere videmus. Sane, qui illarum regionum, unde pestem proficisci experimur, historiam scripserunt, de peste ceu morbo non admodum ibidem frequente loquuntur. An fors insigniorum tantum stragium meminerunt? An nostris temporibus causæ pestis in solo natali magis vigent, facilius & sæpius excitantur?

tomanico intereſt vicinitatis commerciive neceſſitudo, quæ procul dubio, non ſecus quam olim, frequentius diræ luis præda forent, niſi nunc Regnantium providentia malum arceret.

In illo itaque orbis angulo videtur ſeminium peſtis, ſi non gigni, ſaltem a certis cauſis conſervari, foveri, excitari. Sane populi, quo a mari mediterraneo plus recedunt, tanto tutius degunt. Refert ex Trigantio Diemerbrœckius, peſtem apud Sinas, & ex Scaligero apud Æthiopes flumen Nigrum accolentes inviſam eſſe. An America veram peſtem vidit unquam? & ſi vidit, an ibi natam, aut aliunde advectam?

Neque tamen eandem ſemper adipiſcitur imperii amplitudinem. Ægyptum, Archipelagum, Syriam, Thraciam ſubinde vaſtat, & vicinas provincias vix attingit. Aliquando longe lateque ſeſe diffundit. Quæ igitur diſcriminis ratio?

Verum in Europa plane exſpirat nec reſurgit, niſi novum advehatur ſeminium, aut vetus aeri ſubductum foras producatur. Sic omnes antiquorum temporum peſtilentiæ ſponte & ſine humanæ induſtriæ ope penitus ceſſarunt. Sic Anglia, ut de ceteris regnis nihil dicam, totum ſæculum perſtat immunis.

Peſtis novum ſubiens locum primorum, quos corripit, internecione plerumque ſat celeri, adventum ſuum manifeſtare ſolet: remittit dein acutie & ſævitie, nonnulliſque vitam do-

nat: resumit variis intervallis vires, sicque mox ferocior (a) mox mitior ab uno homine in alium diffunditur, ægrorum, quos ferit, vix non semper plures perimens, quam emergant. Quando videlicet ars nec cavendo, nec medendo succurrit.

(a) Has alternatim sibi succedentes pestis remissiones & augmenta in nostro suburbio observavimus. Novilunia sat constanter novos & plures ægros attulere. Et catalogi ægrorum fidem faciunt, tale augmentum usque ad plenilunium locum habuisse, pluresque crescente luna & infectos, & mortuos esse, quam quidem eadem decrescente. Diemerbrœckius ait se observasse in peste Noviomagensi duobus tribusve diebus ante & post novilunium, ut & plenilunium diram luem exacerbatam fuisse, eoque tempore & plurimos morbum corripuisse, & quos tunc invadebat, fere omnes mortuos esse, idque sat cito, suamque observationem aliorum Medicorum testimonio confirmat. Citat tamen simul quosdam Authores, qui lunæ decrescenti pestis exacerbationem tribuunt. Unde haud temere concludi posse videtur, luem ubique locorum & temporum eandem periodum nequaquam tenere. An autem remissiones & exacerbationes illæ phasibus lunæ dumtaxat debeantur, omnino obscurum est. Sunt anni, queis insignes tempestatis mutationes in certam lunæ phasin sat regulariter incidunt. Deinde plethora muliebris & inde pendens catharsis singulis mensibus redit. *Corpora quoque virorum sana & moderatissimo victu utentia singulis mensibus fiunt solito ponderosiora, unius scilicet duarumve librarum pondere, & redeunt ad consuetum pondus circa finem mensis, ad instar mulierum; sed facta crisi, per urinam paulo copiosiorem, vel turbidiorem. Ante dictam crisim menstrualem a somno factam, vel gravitas capitis, vel corporis lassitudo persentitur, & deinde paulo copiosiori urina evacuata omnia sedantur.* Quæ quidem Sanctorii observatio si suam habet in experientia firmitatem, jam perspicimus & in viris, Sanctor. sect. 1. aphor. 65. & 66.

Sedem mutans & alio migrans haud ideo mitefcit, fed æquali furore hic fævit, ficut ibi. Ita pofterioribus fæculis (ut remotiora non attingam) & hujus initio varias Europæ regiones peragrare vifa eft.

Omni quidem anni tempore fuos fines protendere valet. Obfervatio tamen in Europa (a) docuit, quod, fi vere aut æftate inceffèrit, ibidem fequente hyeme ceffet; fi vero eam autumnus invexerit, longius plerumque protendatur.

non fecus ac mulieribus omni menfe reverti morborum prophafin, quæ & alias poft fe trahere poteft. Sic mulieres appropinquante catharfi & fub eadem in affectus animi folito proniores effe obfervantur. Idem procul dubio obtinet in viris ftante Sanctorii affertione. Si jam contingeret menftruas illas alterationes in viris fœminifque potiffimam faltem partem in certam Lunæ phafin incidere, quæ itidem anno peftilenti notabiles adveheret aeris mutationes, jam non una appareret alternantis fingulis menfibus in remiffione & exacerbatione peftis, faltem intuitu illius temporis & loci.

(a) In Ægypto & vicinis terris refertur peftis ineunte autumno inchoare, in Decembri & fequente Martio (qua temporis intercapedine calores ibi funt mitiores) maxime furere, tandem Julio fummis fub caloribus extingui, ficque duos menfes inducias dare, quæ fubinde etiam ad feptennium protenduntur. An ergo minor, quem habemus æftate caloris gradus virus exaltat, major Ægyptiorum idem diffipat? Cæterum mitefcentis, fubinde & ceffantis hyeme; crefcentis ferocientifque æftate apud nos peftis, quam adfero, obfervationem confirmat Diemerbrœckius aliique; eamque poffem, fi opus foret, plurimorum exemplorum inductione fulcire.

tur. Tandem in loco, quem nuper invaserat, intra sedecim menses exstingui solet.

Etiam ex iis, quos hyeme, & prope hyemem corripit, non tot pereunt, quam exeunte vere, tota æstate & ineunte autumno. Sic ea, de qua scribo, ad pylas Tœmœsenses mense Octobri & Novembri viginti duos infecit, undecim tantum sustulit. A mense Majo autem sequentis anni infectorum duo trientes fere occubuerunt. Viennæ 1713. ex octoginta Januario & Februario infectis convaluere quadraginta unus. Mensibus vero Julio, Augusto & Septembri inficiebantur 5795. moriebantur 5371. ergo ex tredecim fere tantum unus evasit. Aliis vero mensibus major fuit reconvalescentium proportio.

Quæ quidem omnia de pestilentiis hoc & superioribus sæculis in Europa grassatis adfero ut observata, non ut leges, a queis nulla constitutio recedat, recesserit, aut imposterum recedere queat.

Causa pestis ex uno homine in alium migrat, dum hic se illi applicat; aut atmosphæram Infecti exhalationibus gravidam subit; vel supellectilem inquinatam induit, aliove modo tractat. Primum modum contagium, alterum ad distans, tertium per fomitem appellarunt. Priores modos eodem sub nomine contagii comprehendunt nonnulli. Porro illa effluvia, quatenus mera sunt corporis ægri recrementa, tenuitate, tenacitate, acrimo-

ria, putredine, aliisque conditionibus inter se discrepant. Ergo sub hoc intuitu pro causa, quæ in singulos transit, & eundem specie morbum reproducit, haberi nequeunt. Aliam proin vehunt, quæ cum iis ipsis in aere suspendi, corporibus inanimis adhærere, animatis applicari, ingeri, & eam ipsam, quam primus æger patitur, aut passus est, in sanitate mutationem, in alio reproducere queat. Hanc causam tum ob effectuum improbitatem, tum quia viribus Naturæ se mutari non sinit, ad venena retulerunt jure Medici. Miasma, seminium, inquinamentum pestiferum appellant.

Non omnes tamen & singuli peste corripiuntur statim, aut postea, queis causa applicatur & ingeritur. Sunt, qui diu noctuque inter ægros & cadavera proinde in atmosphæra virosa perpetuo versantur; miasma in suis vestimentis continuo gerunt; immunes tamen perstant; nonnulli quidem semper, alii per hebdomadas & menses. Ipsa vero veneni ad peripheriam corporis externam, & eam, quæ aeri patet, internam superficiem jugis applicatio; infinitarum resorbentium venarum præsentia, & demonstrata earundem functio nullum relinquunt dubium, tam subtilem, ut ipsum est, materiam in corpus admitti oportere; neque id evitare potest talis homo; etsi enim, quamdiu venæ resorbentes in æquabili manent plenitudine & amplitudine; epidermis externa udore oleoso; epithelium uberi

madore mucoque illinitur, prima fronte videtur venenum difficilius penetrare, docent tamen odores & sapores, qui quemvis afficiunt, omnia, quæ ad admissionem applicati requiruntur, semper præsto esse.

Consentiunt itaque Medici, venenum pestiferum in corpore humano sine ullo, aut saltem perceptibili sanitatis detrimento aliquamdiu delitescere posse; ergo, quum non omnes pestem contrahant, plane necesse est, ut id ipsum cum humoribus innocue circumducatur, & eadem, qua ingressum est per venas, ejiciatur per vasa exhalantia cum materie perspirabili, facilitate. Id confirmat levissimus, quam in nonnullis observare est, pestis decursus, & facilis, diapnoen restituendo, ejusdem curatio.

Quamdiu itaque humores, utut miasmate inquinati, ad exquisitæ sanitatis leges movebuntur; quamdiu id cum perspirabili materie æquabiliter excernetur, quamdiu vigebunt & debitum typum servabunt, quæ ad hanc excretionem in solidis, fluidis, & horum motu requiruntur conditiones, vix lædent pestis jacula; verum si a quacumque causa miasmatis admissionem concomitante, aut sequente turbetur, minuatur, tollatur diapnœ, natura dum una hanc restituere satagit, natamque resistentiam superare nititur, stimulum peregrinum commovet, excitat, accendit; sicque exseretur, ut cum Sydenhamo loquar, Naturæ conamen materiæ morbificæ

exterminationem in ægri salutem omni ope molientis: & hoc eſt ipſa peſtis.

Sic leviſſimæ prophaſes, & inde oriundæ, quas natura, abſente miaſmate, in integrum reſtitueret, noxæ, teterrimum exitialemque morbum advocant, ſuſcitant, fovent, irritant. Si jam conſideremus, quam multiplices, variæ, frequentes, inevitabiles intra vitæ communis munia ſeſe offerant ſimilium noxarum occaſiones & cauſæ; quaſdam intra nos nobis inſciis naſci, nonnullas vitæ neceſſario famulari; alias ex ipſo mentis cum corpore ſyntagmate proficiſci; ſi, inquam, hæc omnia conſideremus, & cum infanda, quæ ineſt veneno, ſeſe diffundendi facultate conjungamus, haud ægre horrendarum, quas peſtis edit, ſtragium rationem introſpiciemus. Neque latebit, cur inter eos, qui miaſma ex contagio aut fomite intra ſe recipiunt, pauciſſimos reperire ſit, qui non ocyus ſeriuſve inficiantur, & beata fruantur immunitate.

Sane ſi hæc ſicubi reſidet, aut arte comparari queat, in eo procul dubio erit, qui ex peculiari naturæ dono, aut ex exquiſita ſcrupuloſaque omnium irritamentorum evitatione, in ſtatu, quem ſua ſanitas requirit, perſeverabit, aut ſaltem cito facileque in eundem reſtituetur.

Ex adverſo autem tanto facilius in peſtem ruet, qui pluribus frequentioribusque obnoxius erit vulgarium morborum fomentis & irritamentis. Miaſma enim colligunt loci infecti incolæ,

ubi minime ſuſpicantur, ut in prophylaxi dicetur. Hinc intelligitur, qui fiat, ut locus peſte infectus ex omnium fere Authorum teſtimonio cæterorum morborum maxime immunis ſit. Unde & paſſim notant, ortos ſub propriis phænomenis morbos vulgares in peſtem plerumque degenerare. Quod quidem de febrilibus, utpote quibuscum peſtis quandam analogiam habet, maxime verum eſſe videtur. Proinde ſi homo vel febre tantum Ephemera ægrum corpus atmoſphæræ venenatæ objiciat, aut fomiti admoveat, vix contagium effugiet. Nihil tamen vetat febres vulgares peſti contiguas, miaſmate nondum diffuſo, adhuc aliquamdiu conſpici, quemadmodum Londini eveniſſe innuit Sydenhamus. Experientia quoque evincit, eos infecti loci incolas, qui omne cum ægris ſuſpectisque vitant conſortium, morbis vulgaribus inſiliri. Immo Collega D. Bruckmann, quum plus integrum menſem peſtiferis adſiſtebat, diro hypochondrii dextri & inflammationem inteſtinorum minitante dolore correptus fuit. Qui iterata venæ ſectione, congruisque remediis, non citius tamen novem diebus, & malum, quo premebatur, ſanavit, & peſtem, quam rerum circumſtantiæ interminabantur, avertit.

Simul quoque intelligitur conſtitutiones peſtilentes ſævitie, acutie, & morientium multitudine, a ſe invicem ſæpe diſcrepare. Communia aeris, victus, vitæ vitia, ut varia ratione cor-

pora mutant & morbis univerſim addicunt, ſic quoque peſti ad inſigniores clades viam ſternunt. Ita authores obſervarunt, peſtem tempeſtati humidæ & calidæ, annonæ caritati, belli calamitatibus ſupervenientem, aut coexiſtentem, atrocius deſæviiſſe. Contigit quoque, ut eadem conſtitutio majorem proportionate in uno loco edat ſtragem, quam in vicino. Sic Viennæ ex infectis 9565. perierunt 8644. proinde ex novem infectis fere tantum evaſit unus. In Pagis vero circumjacentibus erat infectorum ſumma 3877. mortuorum 2726. ergo ſaltem tertius quisque, & adhuc plures emerſerunt. In pagis aer purior; ſedulior amicabiliorque miniſtratio; ægrorum in ſuis domibus permiſſio, aut ſaltem major quam in civitate panſio; fors perverſa medela ſapientior natura, ipſaque robuſtior in ruſticis conſtitutio, plurimum ad horum reſtitutionem contuliſſe videntur. In civitate vero violenta in noſocomia detruſio, inde natus terror, mœſtitia, adflictio, plurimorum cumulatio, fœdorum vaporum inſpiratio, minor ad ſingulos ægros attentio, una eademque promiſcue exhibita medela; regiminis unicuique peculiariter debiti defectus; miniſtrorum ruſticitas, aut indulgentia ſupinave negligentia naturam mire quantum mutant, & morbo ſævitiem addunt. Præterea vix dubium eſt, quin bona pars famulantium in plateas projecta ab heris quarentanam metuentibus, alia domi abſcondita fuerit, & ex egeſtate & inopia

perierit. Tandem accedunt, quæ cives præ rusticis tenent, morborum fomenta. Gulæ intemperies, vitæ sedentariæ vitia, humorum acrimonia, tenerior nervorum compago, aliaque ex his facile colligenda malum augent, & funera cumulant.

An vero a miasmate seorsim spectato aliquando saltem pendeat peculiaris, quæ in certis ægris observatur, morbi acuties & malignitas? Prima quidem fronte videntur recrementa hominis ægri pro diverso pravitatis suæ gradu noxam quandam adferre, aut saltem pedetentim humoribus corruptelam ingerere posse, quæ, siquidem virus in actum eruperit, vim morbi augere valebit. Verum vidi ex iis, qui haud aliunde, quam a moriente pestem contraxerant, aliquos mox leviter, dein graviter; alios sub ipsis initiis pessime adflictos, quosdam facile morbum superasse, nonnullos ocyus, aut serius fato cessisse. Vidi in eadem familia primum morbo ereptum, reliquos periisse. Vidi integras familias intra breve tempus omnino deletas esse. Hinc fere inducor ut credam, felicem infelicemve, serum aut citum morbi exitum non adeo, aut saltem non semper, a statu corporis, unde miasma prodit, quam a recipientis singulari dispositione pendere. Videtur tamen miasma subinde peculiarem nanciscі acutiem. Qui vestes miasmate fœtas, diu reconditas, aliamve supellectilem recludunt, omnis mali securi, a veneno vehiculi sui, seu

recrementorum vinculis liberato, ſolique aeri innatante peſſime affici ſolent. Sunt, qui in veſtibus ſuis miaſma diu ſani circumferunt, atque tum demum inficiuntur, ubi a nimio corporis exercitio aliave cauſa calor auctus inquinamenta ſolvit, & inde venenum extricat. Miniſter, qui ſupellectilem infectam ab ægris mortuisque abſtulerat, currui dein & rogo impoſuerat, proinde ſæpius tractarat, dum ſub initio combuſtionis vento & fumo corpus imprudenter opponit, mox peſtem contraxit. Videtur ergo venenum compedibus per calorem ſolutum volatilitatem & efficaciam adeptum eſſe.

Applicationis modus fors etiam aliquid facit. Accidit nonnunquam, ut infectorum vicini propinquive infici metuentes, per januam aut feneſtram ſemiclauſam colloquantur funeſto quandoque eventu. Aer enim inquinatus in os loquentium irruit, & pulmonibus, primisque viis ſubito & fortiter applicatur. Vidi ſenem ſeptuagenarium, qui e feneſtra domus infectæ panem accepit & peſtem, qua tertio die mortuus eſt. An idem hic obtinet, quod in fermenteſcentium liquorum vapore, qui exiguo ſpiraculo exceptus hominem fortiſſimum fulminis inſtar proſternit; expanſus vero, utut copioſior, levius, aut nequaquam afficit? An ideo halitus ex ore ægrorum morientiumve exceptus, an fæcum olfactus tam periculoſi?

Miaſma itaque, ut mox enarrata, & necium ſubitanearum exempla ſuadent, videtur ſine ulla, ſaltem obſervabili ejus actionem præeunte ſtipanteve prophaſi, in certis rerum circumſtantiis pro ſingulari volatilitate, copia, malignitate, peſti inferendæ ſufficere. Sæpiſſime tamen contigit, ut a phænomenis ſumat initium, quorum cauſæ vulgares ſunt & obviæ; quæque morborum conſtituant, ex principe quidem cauſa ſimplicem, & aliarum concurſu origine multiplicem, proinde, ut invaſionis modo, ita acutiei, ſymptomatum, decurſuum varietate mire ludentem, & in ſingulis pene ægris a ſemetipſo diverſum, ut capite tertio latius exponam.

Enim vero earum ipſarum prophaſium noxæ, quas, ut ſupra dixi, natura vincere, aut ſaltem quarum eruptionem in ſeriora tempora protelare potuiſſet, cum miaſmate agunt & agere pergunt. Atque hac ratione vis vitæ peregrino laceſſita ſtimulo, dum hunc amovere ſatagit, præexiſtentia morborum vulgarium ſeminaria ſimul excitat, movet, & in actum deducit.

Mala vero, quæ a miaſmate proficiſcuntur, utique ea ſunt, quæ manifeſtarum cauſarum actionem vi, & agendi modo ſuperant. Sic virium debilitas, languor, proſtratio, pulſus ſine inſigni celeritate imbecillitas, temulentiæ æmula capitis hebetudo, dolor, gravitas, ſtupor, vertigo, oculorum vigor a ſe ipſo alienus, linguæ flacciditas, tremor, balbuties, materiæ

æruginofæ rejectio; urinæ pallor, aliaque plura tam frequenter, cito, multipliciter, violenter in nulla vulgarium morborum fpecie occurrunt, quemadmodum in pefte. Immo eadem hæc abfentibus omnibus caufis vulgaribus, jam fub ipfa invafione in nonnullis ægris obfervantur.

Quæ quidem omnia, qui perpendit, haud ægre perfpiciet, miafma peftiferum in nervorum fyftema fuam vim potiffimum exerere: in primo enim, quem edit, impetu nullum alicujus humorum corruptelæ aut depravationis, quæ ei proxime adfcribi queat, obfervare eft indicium. Veteres dixerunt peftem effe morbum cordis & miafma ejufdem vires fpecialiter impugnare; neque abs ratione; ipfa enim tum totius corporis fubitanea laffitudo, tum vel maxime pulfus arteriæ debilitas fatis demonftrant, influxum fpirituum vitalium in cor labefactari, proinde & hoc virium detrimentum pati. Ipfa quoque arteriæ contractio fegnior deprehenditur; ambæ ergo, ea videlicet quæ cordis, & ea, quæ arteriarum eft, fanguinem moventes potentiæ fui roboris parte, in his ægris minore, in aliis majore deftituuntur. An hinc repetenda humorum diffolutio? Unde ergo, quæ in nonnullis ægris obtinet inflammatoria vifcofitas?

Verum de his in præfentiarum fatis efto. Cætera fpecialis declarabit morbi hiftoria medica. Nunc nonnulla fubjiciam quæfita & corollaria.

An pestis sui juris aliquando paucos tantum feriat & sponte extinguatur? Diemerbrœckius Cap. VIII. Annot. I. postquam ex aliis Authoribus aliquot historias adduxit, narrat Ultrajecti anno 1661. mense Octobri, peste nullibi grassante, viduæ filiolum, deinde ipsammet, tum & quinque ex domesticis, intra tres quatuorve septimanas, sine bubonibus aut anthracibus, aliisve exanthematibus successive extinctos esse, neminemque ex his ultra quatriduum decubuisse: tandem & superstitem ancillam in itinere Amstelodamum ægrotasse, eique dein bubonem inguinalem cum duobus anthracibus prodiisse, Amstelodami duos fratris liberos suo infecisse contagio, & apud hos malum constitisse. Idem Author CXX. historiarum, quas suo tractatui de peste subjunxit, similem fere casum adducit de Capitaneo, qui mense Augusto 1638. in pago Bemmel, cum pestis nusquam in tota Geldria grassaretur, peste cum variis carbunculis correpto, dein mortuo, a quo miles adsistens, & ipse Diemerbrœkius infectus fuit, & nemo alius. Sequentem refero ex fide Domini de Stocker Cæsareæ in Transylvania militiæ Medici, socerique mei, qui patrem suum itidem Medicum narrantem audivit, Budæ Hungariæ metropolis integro post luem extinctam anno nempe 1714. eandem resuscitatam esse hac occasione: Murarius bubonem suppurantem gerens linteum pure madidum in muro propriæ domus recondiderat, adactoque

ligneo cuneo, foramen obturaverat. Poſt anni ſpatium, dum ſuam domum dealbaret, vana ſimul & funeſta motus curioſitate cuneum extraxit, paulo poſt obiit, totamque ejus familiam peſtis indubiis ſignata indiciis ſucceſſive abſumſit ſine ulteriore ſequela. Sic hic Cibinii ſeptem jam menſes extincta ex pulvinare aeri haud ſatis expanſo, dein in uſum tracto revixit anno 1739. in quadam domo, duosque homines interfecit, reliquis domeſticis intactis.

An his caſibus præſertim in Diemerbrœckianis, quibus nulla hominum providentia induſtriave ſe immiſcuit præſens aeris diatheſis peſti adverſa erat? Sane aer ad delendum miaſma magnam vim habere videtur, ut ex ſupradictis abunde colligitur. Neque omnino conſtat frigori hyberno deberi peſtis extinctionem. Ingreſſa anno 1708. ſub autumno in Tranſylvaniam acerrimum anni ſequentis gelu ſuperavit, totosque quinque annos varias provincias peragravit, tandem anno 1714. ineunte ubique deſiit. Notat quoque Diemerbrœckius acerrimum ſeptem tantum dierum gelu menſis Februarii anno 1637. mali vires Noviomagi ſic infregiſſe, ut ſequens Martius ultimas dederit ibidem peſtis reliquias, ſæviiſſe tamen eo ipſo anno in vicina diœceſi Ultrajectina, inprimis vero Montfurti. Interim brevi morituræ peſtis indicio haud ambiguo ſunt morbi epidemici vulgares ſupervenientes, utpote qui alius conſtitutionis ortum teſtari videntur.

Cur peftis æftate & autumni initio latius diffunditur & fævius graffatur ?

Calor virus extricat, expandit, exaltat, aer mox denfior, mox rarior, forte bibacior, fere perpetuo motus venenofos vapores, quo directio fert, difpergit. Caloris, frigoris, ficcitatis, humiditatis viciffitudines, exercitia violenta, & eadem excipere folita refrigerationes, nocturnæ denudationes, fomni inquieti, abufus in efu fructuum horæorum, aliæque morborum, proin & peftis prophafes frequentiores funt. Major in nervis & toto corpore debilitas, humorum fpiffitudo, eorundem, bilis præfertim, acrimonia, ceteræque, quas utraque tempeftas generare folet, corruptelæ miafmati junctæ morbi fævitiem augent. Hyeme & veris initio horum multa aut abfunt, aut his contraria locum habent.

Cur peftis frequentiffime ceffat hyeme, rariffime æftate ?

Hyeme miafma minus activum, aer denfior, minus bibax. Prophafium caufæ infrequentiores. Perfpiratio corporum minor & exhalationes non adeo copiofæ, & minus diffufæ: homines domi plus manent, & minus coeunt, imprimis poftquam jam terrefecit prægreffa ftrages. Hinc facile evenit, ut miafma nullum amplius reperiat fubjectum, in quod agat. Accedit faltem in Europa cultiore humana follicitudo, quæ

miasmati in fomitibus delendo metu periculi excitatur.

Contra vero æstate, ubi jam invaluit, facile semper præsto est corpus, quod proximam habeat ad pestem dispositionem; hinc in his circumstantiis, miasma in fomitibus deleri, aut iners reddi posse, vix spes apparet. Quod tamen aliquando æstate evenisse compertum est; sic anno 1713. Augusto & Septembri in nonnullis locis Agri Viennensis; item anno 1756. in oppidulo Tartlau ineunte Octobri, qui sat calidus fuit, dum suburbium Coronense multa adhuc funera videbat, pestis extincta est. Ubi autem pabulum semel demptum fuit miasmati, aer hoc in fomitibus (nisi recondantur) latens extricat & dissipat forte & mutat; inprimis, si simul adversam pesti induerit diathesim.

Cur hyeme, vere, & æstatis initio carbunculi rariores; ardente syrio & ineunte autumno frequentissimi? Acrimonia humorum ad genesim carbunculorum plurimum facere videtur; forte etiam inde ratio peti debet, cur hi præ bubonibus serius oriantur. Neque obstat, quod etiam in tenera ætate observentur; hæc enim non semper caret acrimonia.

Qui homines magis, qui minus pesti obnoxii? In cholericis humores acriores, spissiores, horum motus validior; solida stricta, at valde irritabilia, diapnœ copiosior quidem, verum facile e suo statu dejicienda ocyori miasmatis

is retentioni, difficiliori eliminationi, penitio-
i ejusdem impactioni, & quæ independet nervo-
rum læsioni viam sternere videntur.

Hos sequuntur sanguinei, queis humores
blandiores, solida laxiora quidem sunt; at mo-
us humorum validus; calor magnus, nervorum
compages tenera & ataxiis obnoxia. Si abun-
dantiam comitatur acrimonia, plus discriminis
habent.

Melancholicis humores lentius moti, calor
minor, solida firma, animi constantia aliquid
boni pollicentur. Verum si humorum accedat
acrimonia, spasmorum frequentia, graves diu-
turnique animi affectus citius & gravius afficiun-
tur; hi fere cholericis æquiparantur.

Phlegmatici, utpote qui humores copiosos
aquosos, leniter motos, solida laxiora, minus
sensilia gerunt, non ita ut cetera temperamenta
periculo subjiciuntur, & facilius emergunt.

De cacochymis judicandum tum a temperie,
tum ab humorum, quam gerunt, corruptela;
certe hydropici ægre peste corripiuntur. Virum
phthisi laborantem, & mulierem scabie fœda-
tam peste correptos vidimus.

Podagrici fors ideo peste non inficiuntur,
quia, quum fere omnes rem domi plebeis lau-
tiorem habeant, fuga sibi consulunt, & si fors pa-
roxismus fugere vetat, præsens quam imperat
diæta diapnoica, sospitati confert. Accedit, quod
plu-

plurima pars ſint ſenes; hos autem minus peſti obnoxios eſſe paſſim teſtantur Authores.

Qui mulierum corpora, eaque, quibus ex temperie, ſexu, peculiarique ſtatu ſubſunt, incommoda cum mox dictis confert, perſpiciet, quæ & quando majori, tum infectionis, tum mortis periculo obnoxiæ ſint.

Infantes ad ſanguineos accedunt; motus humorum celerior, nervi levis etiam ſtimuli impatientes. Juvenes itidem ad ſanguineos aut plethoricos, revocantur. Senes melancholicis aut phlegmaticis accenſentur.

Unde fit, ut nonnulli diſſolutæ vitæ & morum homines maneant a peſte immunes? Miſit in ſuburbium duos tales veſpillones urbs Corona eorum flagitiis & nequitiis delaſſata, queis tamen peſtis pepercit. Ubi feriabantur, immo & inter exportanda cadavera vinum, aut potius ſpiritum vini frumentive aſſidue potitabant; vix unquam ſobrii. Erant vero ambo corpore toroſo, unus quidem carnoſiore molliore; alter paulo ſtrictiore & macilentiore. Videtur in illis ex inducta conſuetudine humorum motus ſpirituoſis, non adeo lædi, quam potius, qui ad ſanitatem requiritur (ut docet, quæ eos dum e ſomno ſurgunt, tenet debilitas) conſervari, aut ſaltem non ultra modum augeri, unde & procul dubio, quod ſuſceperant miaſma, potatio ſequens diſpellit; an etiam exhalantes ex ore & toto cor-

pore

pore Bacchi vapores circumfusum miasma involvunt, enervant, mutant?

An peste functus denuo corripi potest? Vir 35. annorum, qui pestem anno 1738. feliciter superaverat, munus ægris ministrandi in nosocomio suscepit, tutam sibi pollicens immunitatem, quam tamen pestis non respexit; ea enim correptus intra triduum obiit. Diemerbrœckius asserit se varios novisse, qui ante aliquot annos peste laboraverant, & tamen non magis, quam ceteros, immunes fuisse. Annot. ad hist. 37.

In eadem vero constitutione rarius observantur, qui bis peste corripiuntur, inprimis si graviter & periculose decubuerint, quod ego propria experientia testari possum. Licet enim non minus, quam ante, inter ægros, morientes, mortuosque versatus fuerim, & præcipiti vehementique ira, quam valde periculosam prophasin esse omnes agnoscunt, creberrime, ut erat confusa turbataque rerum facies, excanduerim; tamen nullam aliam, quam, quæ ab illo affectu gigni solet, noxam expertus sum. Interim & non omnes, qui gravem superarunt morbum, a secundo insultu tutos esse demonstrat Diemerbrœckii hist. 37. de equite, qui peste cum magna febre ac debilitate correptus bubonem in inguine & tres anthraces in corpore habuerat, & evaserat, quinta post perfectam sanationem hebdomada, rursus peste correptus est, & ante diem sextum victrici pesti duram subjecit cervicem.

Omnium minime tuti videntur, quos peſtis leviter ſalutavit. Famulo uſus ſum, qui ter peſtem habuit. Primo quidem ſub finem Julii cum febre miti & bubonis germine, qui poſt aliquot dies retroceſſit. Secundo circa medium Septembrem geſſit carbunculum ad angulum maxillæ inferioris ſiniſtræ, ad omnia ceterum munia aptus. Tertio tandem menſe Novembri, prægreſſo levi horrore, bubo rurſus emerſit, & poſt aliquot dies evanuit.

An febris peſti individuus comes? In omnibus, quos videre licuit, peſtem ab horrore initium ſumpſiſſe comperi; & pulſum explorans ſemper præternaturaliter celerem deprehendi. Profecto vix videtur laceſſita a retento miaſmate natura illud ſine aliqua cordis motus acceleratione expellere poſſe; & ſi vires ſubito proſternuntur, tamen cor in celeriores, debiles quidem, contractiones cietur.

An datur febris peſtilentialis ſine peſte? Si, quis peſtilentem febrem nominare velit, quæ bubonibus & carbunculis deſtituitur, ceterum ipſam peſtem ſævitie & interimendi celeritate ſuperat, nullasque præter petechias, easque non ſemper, eruptiones oſtendit; eam in aliquibus ægris me obſervaſſe aſſeram. Item ſi febris peſtilentialis dicenda ſit ea, quæ febrem continuam ſimplicem æmulatur, & vel nullum, vel nonniſi exiguum bubonis germen oſtendit, ſicque feliciter intra quatuor plerumque dies terminatur, ſi-

mul tamen pesti propria, inprimis in læsione functionum encephali, & talia quidem exhibet phænomena, a quibus pestis initium in aliis ægris duxisse comperiebatur, & hanc itidem observavi in nonnullis ægris; verum hæc & illa adeo diversum morbum non constituunt, quin potius pro variationibus pestis habendæ sint.

Verum Authores passim constitutionem singularem febribus pestilentialibus assignant, & eas sub peste tanquam speciem sub genere comprehendunt; illas mitiori contagionis sævitiei gradu discriminantes. Quidam earum causam eandem, miasma videlicet pestiferum, mitius tamen agnoscunt, & plerumque pestem ipsam præcedere, aut sequi asserunt; alii miasma specie diversum comminiscuntur. Sydenhamus (a) bubones & carbunculos a febre pestilente rejicit, Sennertus eos admittit. Riverius in solis petechiis signum febris pestilentis pathognomonicum constituit.

Obscura itaque, aut saltem haud uniformis est, quam Authores de febre pestilentiali tra-

(a) Illa febris pestilentialis, quam Sydenhamus pesti Londinensi successisse ait, non adeo sæva fuisse videtur, utpote, quæ venæ sectioni & sudorum prolectioni tam feliciter, ut inter complures, quos ipse habuit, ægros, ne unus quidem desideratus sit. Quæ vero symptomata pesti communia, quæ singularia exhibuerit, non descripsit Author, qui tamen febrem variolosam sine variolis acuratissime depinxit.

dunt, doctrina: aut enim alium morbum a peste diversum describunt, aut cum peste confundunt. Profecto non assequor, quo jure aut ratione morbus pestilens dici, & haberi queat; qui aliam, quam ipsa pestis, causam principem, nempe miasma pestiferum, agnoscat; aliam non in uno alterove, sed in plerisque ægris symptomatum successionem; proin & alium decursum exhibeat, ac tandem carbunculis & bubonibus destituatur. Si vero omnes notæ, quæ pesti propriæ sunt, saltem in potissima ægrorum parte concurrunt, vana est, quæ inter pestem & febrem pestilentialem, tanquam diversam, & diverso tempore grassantem epidemiam obtruditur, distinctio.

Suadeo itaque, ut illi morbi epidemici, qui contagio, symptomatum sævitie, & anomalia ad pestem quadam tenus accedere videntur, potius a prævalente quodam symptomate cognominentur, quam ut inepte pestilentis nomen usurpetur, & inde doctis erroris, & plebi terroris ansa detur.



CAPUT III.

De peſtis ſymptomatis, & vario ejusdem decurſu.

Duas nationes (a) capite primo appellavi, in quas peſtis debacchata eſt, Saxones & Valachos; qui temperie, indole, victu & moribus toto cœlo a ſe invicem diſcrepant.

Cum autem mox patuerit, harum conditionum notitiam in curatione morbi magni eſſe momenti, haud incongruum, forte nec inutile erit, quædam præmittere de incolis illius ſuburbii, quod prima, princepsque fuit peſtis palæſtra.

Saxones, qui vix ſextam incolarum partem efficiunt, omnes ſunt opifices, eorum potiſſimum operum, quæ ſedendo, aut ſaltem abſque exercitio fatigante fiunt. Carnibus aſſis, raro elixis, lardoque rancido delectantur. Hoc braſſi-

(a) Hungari etiam ſuburbium incolunt, ſed valde pauci: quorum nonnullos quoque infectos vidimus. In quatuor pagis vulgo dictis numero Valachis multum prævalent. Temperie, & moribus ſunt inter Valachos, & Saxones velut medii; utrisque tamen fere ſicciores. Plus Saxonibus exercentur, præ Valachis aere, cibo, potuque ſpirituoſo delectantur.

cis ſale conditis, piſis, phaſeolis frequentiſſime incoquunt; cepæ, allia, dracunculus hortenſis, majorana, anethi ſemina, piper, zinziber, macis, cinnamomum, crocus, ſunt vulgatiſſima aromata, quibus utuntur, aut potius abutuntur: nullos enim fere cibos parant, qui his non plusquam ſatis abundent. Aquam vix bibunt, niſi re domi valde anguſta. Vinum, ejusque ſpiritum & hydromel potitant, & guſtum variis, quisque pro ſuo genio, eduliis, aut condimentis inter potandum acuunt. His omnibus jam inde ab infantia aſſueſcunt. Vidi infantibus de mamma pendulis propinari vinum. Odoribus adeo delectantur, ut in ſuis hortis præter plantas odoriferas vix aliud quid colant. Mos apud eos obtinet, ut, ne pauperrimis quidem exceptis, ex harum plantarum foliis & floribus contexta ſerta diebus feſtis manu gerant, & perpetuo olfaciant; hæc reliquis diebus domi ſervant, atque hac ratione in jugi odorum effluvio verſantur. Viola, roſa, ſyringa, jasminus, hyacinthus, convallaria, majorana, cheirantus, lilium, dianthus, tuberoſa, citrus, ſunt præcipuæ plantæ, quæ nectendis ſertis materiem ſubminiſtrant.

Temperies apud hanc gentem primas tenet ſanguineo-cholerica (a) cum acrimonia oleoſo-aro-

(a) Saxones ſuburbii hæc delineatio potiſſimum ſpectat; imprimis viros; juvenes enim, & ſexus ſequior eſt temperiei, ſimpliciter ſanguineæ, cum ea, quam victus ſuppeditat acrimonia. Qui in pagis degunt urbanis plus exercentur.

matica. Carnes iis ſunt effeminatæ, nervorum compages mobiliſſima, ſenſiliſſima. Hinc ingruente mali aut morbi periculo corpore & animo mox concidunt; ſicque mortem, quam reformidant, metu advocant.

Medicamenta, niſi ſint vinum & ſpirituoſa, omnino reſpuunt, aut ſaltem brevi faſtidiunt, tanquam ingrata & inſipida; accedit animi levitas, quæ uſum diuturnum prohibet, & efficit, ut vel omnino abſtineant, vel ab anu potius, quam a viro perito opem poſtulent, & adhibeant, aut ipſi ſibi medicamenta excogitent ſuo arridentia palato.

Valachi potiſſimum cerealibus vivunt. Farina Milii cum aqua & melle ſubacta, & ſub cineribus cocta, eſt ipſis pro pane: cujus itidem vicem ſupplet puls, quam parant farinam Mais aquæ ebullienti ſalſæ pedetentim immiſcendo, & rudicula conquaſſando, donec æquabilem & ſolidiorem acquirat conſiſtentiam. Hanc pultem dein ſubinde pinſunt cum caſeo. Carnes raro menſis adhibent, lac ejusque ſerum, & coloſtrum cum toto ſæpiſſime. Braſſicas ſale conditas, lentes, phaſeolos, piſa, allia, cepas, rapas, & oleum lini adhibent potiſſimum in jejuniis ſeu abſtinentiæ diebus, quibus nihil eorum comedunt, quæ regnum animale ſuppeditat, ne ſero quidem lactis excepto, quod nec infantibus, multo minus adultis, etiamſi ægrotant, indulgent.

Potus iis communissimus est aqua. Nostris suburbanis familiaris quoque est cerevisia, tenuis ex hordeo & milio, mollis, haud fermentata, proin nec ebrians; vino, ejus spiritui infensi non sunt, sed paupertas facit, ut rarius & parcius bibant.

Opiliones sunt, aut mercenarii. Vestitus est præcise, qui tegendo corpori sufficit, apud plerosque laneus; tamen & frequentissime pelliceus. Calorem, frigus, omnesque aëris injurias tanto commodius ferunt; quod jam velut ab incunabulis assuescant, nudipedes & solo tecti indusio colludunt sub dio infantes & pueri rigida hyeme, qua paucum habent domi focum, prope quem noctu cubant dura super humo, diurnis operti vestibus, aut tenui tantum lodice. Mira certe apud hanc gentem in victu, amictu, totaque supellectile simplicitas!

Corpore sunt firmo, robusto, carnoso, temperie sanguinea, aut pro ratione & ætate cholerica, sine notabili humorum acrimonia (a), periculo, minis, quin & verberibus non multum moventur. Ingruente aut præsente morbo animo non æque concidunt, ut Saxones, nec adeo turbantur. Et malorum, quæ perpetiuntur, causas ex religione in perpetrata peccata refundunt.

(a) De potissima parte hic est sermo, nam multi Valachi, caseo ovili se saginant, fœtoremque ingratum, qui acrimoniam arguit, naribus offerunt.

Præ Saxonibus itaque medicando aptiores ſunt, ut plus ab iis Medicus expectare poſſet, & obtineret ſolatii, niſi indelebilibus laborarent adverſus Medicos præjudiciis, ad quos vel nunquam, vel nonniſi, ubi conclamatum eſt, confugiunt. Et tunc vix induci poſſunt, ut, alia ſumant medicamenta, quam quæ ſuo genio & palato arrident, & hæc rariſſime conſtanter ſumunt. Hinc non raro nobis contigit, ut poſtquam unam alteramve doſin uſurpaverant, ſequentem vel prorſus rejicerent, vel ſaltem non ſumerent, niſi nova accederet perſuaſio. Diætæ & regiminis obſervatio, & ordo vix aut ne vix quidem ab iis impetrari poteſt, tum ob pauperiem, tum ob ruditatem: vix enim infuſum ſimpliciſſimum parare norunt, multo minus congrua ægris alimenta; aut etiamſi norint, vaſis idoneis deſtituuntur: denique abſtinentia, quæ frequens intercurrit, optimam rei alimentariæ partem, ut ſupra dixi, excludit.

O quot & quanta cum his ægris ſuſtinuimus, & devoravimus tædia! hos blanditiis demulcere, iſtos precibus flectere, illos minis movere, triſtes ſolari, timidos erigere, contumaces terrere, variisque artibus eorum fiduciam lucrari oportuit, ut medelam acceptarent, quam ſponte & gratis offerebamus.

Sic multis obſtaculis præpeditam, multis turbis interjectam, multis adminiculis deſtitutam fecimus medicinam; eo potiſſimum curas no-

ſtras dirigentes, ut genio plebis, quæ inſolita & ignota reſpuit, medicamenta accommodaremus, pharmaceutica varia multiplicique fraude velaremus, ut ſic ſaltem prodeſſemus.

Tandem cum viderent ex ſuis propinquis nonnullos, quos ipſimet pro deſperatis habuerant, noſtra ope ex orci faucibus ereptos, benigniore nos oculo exceperunt, ſuosque ægros ſedulius, & temporius nobis revelarunt; præſertim ubi noſocomiorum tolerabilis inſtructio, & violentiæ immunitas, offenſiones minuerant, & odia reſtrinxerant. Id eſt circa medium Septembrem.

Interim rara nobis obtigit felicitas morbi initia videndi, & tempeſtivam, ut ceterum gravitas morbi poſtulat, adhibendi medelam. Nonnulli ex miniſtris noſocomii, & pauci, qui ſuos ægros ſani in noſocomia comitati erant, hanc opportunitatem ſuppeditarunt.

His itaque prænotatis contextam ex communibus, meis nimirum & amiciſſimi, fidiſſimique periculorum ſocii D. Brukmann obſervatis morbi hiſtoriam exordior.

Et ipſa quidem acceſſio multifaria erat; inſolita corporis inertia, gravitas, torpor, laſſitudo, inedia, lumborum moleſtia, capitis gravedo, hebetudo, obtuſus dolor, vagi cutis ſuccuſſus, phlogoſes hisque alternantes momentaneæ perfrictiones, permultos aliquot horas, unum alterumve diem, ſubinde & plures, velut inter ſa-

nitatem morbumque ambiguos tenebant. Fuerunt inter hos, qui intra harum alterationum moram vagas, verſus inguina, axillas, parotides, perſentiſcebant vibrationes, quas & nonnulli ceu primum a ſanitate receſſum incuſabant, ſe omnis mali ſecuros quaſi telo petitos fuiſſe referentes. Interdum jam figebatur oberrans materia, dabatque bubonis germen. Item obſervare fuit, quos inexplicabilis fœtor feriebat; mox acerrimus, iſque quaſi rodens capitis dolor, vertigo, nauſea, anxietas, ingenſque virium lapſus derepente laceſſebat.

Horum ſymptomatum quædam, plura, pauciora, leviora, graviora, hæc aut illa experciora, leviora, graviora, hæc aut illa expertos prehendebat horripilatio, nunc adflantis auræ, nunc leviſſimi breviſque frigoris, nunc adfuſæ frigidæ ſenſationem, aliquando acceſſum febris intermittentis mentiens, in his plane algens, in iſtis ſimplex & una, in aliis caloribus interrupta. Subinde plane inopinos velut ex inſidiis inſiliebat.

Quæ quidem initia mire variantes aperiunt ejusdem nomine morbi ſcenas. In his placidiſſime decurrit; in iſtis primam manſuetudinem exuit. Sæpe ferociter prehendit. Nunc febrem continuam ſimplicem, nunc continuam putridam, eamque multiformem, nunc ex viſcoſitate inflammatoriam & ardentem æmulatur. Frequentiſſime ipſa ſe ipſam, febreſque malignas Medicis dictas ſingulari ſævitie acutieque vincit,

ut ex principibus, quos mox ſiſtam, typis liquido conſtabit.

1. Levis breviſque horripilatio; calor huic ſuccedens ſanum fere æquans & conſtans; pulſus robore & velocitate ad naturalem accedens; laſſitudo exigua; capitis gravitas, & dolor mitis, mens ſolito quidem hebetior, ceterum fere illibata: mera anorexia, ſitis vix ulla, brevem morbum ſalutaremque exitum, pollicebantur tanto quidem fidius, ſi hæc non aucta prodeuns bubo levaret, aut ſaltem non multum exacerbaret, exiguamque faceſſeret moleſtiam, aut dolorem. Interea augebatur tantiſper mole, & eundem, reſurgentibus ceteris functionibus, comitem ſe præbens diapnœ, cum tota morbi materie circa diem quartum plerumque diſſipabat.

2. Horripilatio priore manifeſtior, paululum prolixior, nullis aut ſaltem raris interrupta caloribus, laſſitudo; lumborum gravitas dolorque major; ſtupor ineuntis temulentiæ æmulus; cephalalgia per intervalla pungens: calor horripilationi ſuccedens non intenſus perſtans, fere udus: pulſus ſano velocior quidem, at fortis & duriuſculus, oculorum vigor vix mutatus: facies paulo rubicundior: ſitis infrequens, os non tam amarum, quam ſordidum; anxietas aliqualis: omnia hæc intra nycthemeri ſpatium vel ultra, ſi non minuta, ſaltem non multum aucta, ſalutarem pollicebantur, longioris licet, morbi exitum, imprimis, ſi natus jam incre-

mentumque ſumens, aut nunc demum naſcens bubo levamen adferret, hocque, miteſcens febris, pulſus tardior, mollior, fortior, & aucta circa diem quartum cutis excretio confirmaret. Sequentibus vero diebus febris rurſus exacerbabatur, nonnullaque reducebat ſymptomata; quæ eadem fere, ut prius ratione miteſcentia uberiorique cutis excretione excepta, circa ſeptimum diem plane evaneſcebant; ſæpe quidem una cum bubonis germine; non raro eodem adhuc remanente, nec adeo eminente, & ita poſtea diſſipando. Contigit quoque tumorem in ovi gallinacei magnitudinem aſſurgere, & feriore tantum die diſſipari. Subinde quoque ſuppurabatur.

Vidimus eundem hunc decurſum præter bubonem attuliſſe quoque, circa diem quartum, carbunculum, qui ad nonum uſque inflammabatur, ſuaque ſtadia placide emetiebatur. Tales ægri primis potiſſimum diebus in ſomnum proclives erant.

Bini, quos ſtiti, æque infrequentes, ac ſalutares peſtis typi in iis maxime obſervabantur, qui bonæ temperiei, ſolidorum flexilium, humorum blandorum, facileque meabilium erant. Si præterea primæ viæ puræ, ſi propbaſis indeque nata noxa levis fuerat, tanto quoque levior erat morbus. Sic affecti ſuam ſine metu, animive dejectione ægritudinem ferebant; quidam foras prodibant, alii citra multam in lecto moram mitem ceteroquin morbum abſolvebant.

3 Pejus habebant, quos fatigabat horror sat gravis, aut simplex & unus, aut caloribus frequenter interturbatus. Calor sequens fere æstuosus: magna lassitudo & virium prostratio: lumborum, aliquando & dorsi, molestus dolor: os amarescens, cibi, carnis præsertim, fastidium: nausea, vomitus quandoque & diarrhœa: mentis stupor, temulentiæ vicina hebetudo, vertigo; acutæ per intervalla vibrationes: oculi tristes, scintillantes tamen: sitis frequentior, lingua siccior, alba: facies rutilantior turgidiorque: suspiria: anxietas manifesta: respiratio utcumque læsa: tussicula: pulsus velocitate & robore ut plurimum inæqualis.

Hæc aucta, aut bubone carbunculove assurgentibus, petechiisve prodeuntibus non remissa, ingens ut plurimum periculum præseferebant, imprimis si vigiliæ, sopor, delirium accederent.

Ubi vero morbus mitius decurrebat, manifestas exhibebat remissiones & exacerbationes. Diebus enim criticis ægri se melius habere referebant; pulsus mollior, ordinatior, tardior observabatur; diapnœ redibat in lingua, & tota cutis superficie, sudorem lenissimum æmulans; cessabat nausea, vomitus, anxietas cardialgia, sopor deliriumve, aut saltem minuebantur. Bubo assurgebat, aut & carbunculus nascebatur circa quartum diem, vel jam ante natus efferebatur, & inflammabatur. Intermediis vero diebus novas moliebatur Natura aggressiones: Febris

rurſus exacerbabatur cum cephalalgia, delirio ſoporeve, & tota fere, quæ prius adfuerat ſymptomatum ſyndrome, a quarto ad ſeptimum, nonum, undecimum, decimumquartum, ſubinde & ſeriorem diem; in quorum uno udoris jam copioſioris ope miteſcebant, & tandem evaneſcebant omnia; ſuperſtite tamen ſæpiſſime febricula, quæ bubonis maturationem & eſcharæ carbuncularis ſeparationem promovebat & abſolvebat.

Neque inſuetæ erant in hoc decurſu petechiæ miliares ſalutiferæ quidem, ſi diebus criticis & cum virium incremento; terrificæ, ſi contra apparerent; ut ſuo loco dicetur.

Hujus erant typi calidæ temperiei homines, præſertim ſi in humoribus quandam acrimoniam gererent; ſi prophaſis gravis, gulæ intemperantia, calefacientium abuſus morbum invexerat, aut mitia initia in furorem concitaverat.

Unde & fuerunt ex his, qui, præſertim circa quartum morbi diem, in febrem ex ſanguinis viſcoſitate inflammatoriam labebantur: inſignis oris amaror, nauſea, vomitus bilis, lingua ſordida, arida; cutis ſicciſſima; calor æſtuans, æquabilis tamen; pulſus fortis, fere durus; reſpiratio celeris, difficilis, anxia; ſuſpiria frequentia; hypochondriorum tenſio; diarrhœa bilioſa, fœtida; deliria furioſa & cetera tum

ex febre putrida, tum ex ardente mutuata symptomata hos ægros infestabant.

4. Ex præcedente typo plurima mutuabatur symptomata febris, quæ virium languorem cum insigni calore, & magna humorum acrimonia conjungebat. Quando videlicet horripilatio cum calore crebro alternabat; ingens capitis dolor, acriter rodens, interdum acutissime vibrans; vertigo, temulentia, artuum confractio, lumborum ardor, gravis anxietas sub ipsis initiis, aut non multo post affligebant. Pulsus celer, contractus, debiliter feriens, rhythmo & robore fere semper inæqualis. Calor externe, præsertim in artubus mitis, quin subinde udus, in internis fere æstuosus. Oculi torvi, vagi, fulgidi, rubri. Facies turgida fere flammea; lingua valde calida, flaccida, exserta, tremula, in progressu siccior, ex flavo viridescens, tandem fere nigra: sitis inexplebilis: respiratio inæqualis, difficilis, anxia. Ardor circa præcordia, irrequies, jactatio; deliria quandoque etiam sat tumultuosa, atrocia, furiosa; vigiliæ aut continuæ, aut fallaci somni specie interruptæ; anima sudorque fœtens utut rarior; syncopæ; fœces liquidæ, fœtidæ; nonnunquam dysentericæ; tremores convulsivi; mors.

Peculiaris vero hæc febris putridæ species iis erat, qui carnibus assis, lardo, caseo, paucis vegetabilibus vesci, aromatis, vino, ejusque spiritu abuti; vitamque sedentariam vivere sole-

bant;

bant; ætas juvenilis aut media, temperies ſanguinea, cholerica, atrabiliaria cum notabili, quam vivendi ratio attulit, acrimonia oleoſa, ſpirituoſa, alcalina, & inde nata humorum in diſſolutionem proclivitate, cui juncta, quam vis miaſmatis inducit, motus inertia, humores tanto ocius reſolvebat, quod & calor, quem acrimonia fovet, augetque, in eundem effectum ſuam adderet ſymbolam ſane non exiguam.

Quemadmodum vero enarrata humorum diatheſis vario in variis ægris gradu diſtinguebatur; ſolidorum quoque compages in his laxior, in iſtis rigidior, validior debiliorve humorum motus; ſic quoque ocior tardiorve colliquationis progreſſus; varia rerum facies; frequens levaminum relapſuumque alternatio; varius morbus, varius exitus in ſingulis pene ægris obſervabantur.

In his bubones & carbunculi acrius quam pro humorum motu dolebant, ardebant, urebant. Petechiæ ſat cito ſe in conſpectum dabant; rubræ, lividæ, nigræ, color faciei, totiuſque corporis ſubnigreſcens funeſtum e[illegible]m portendebat.

5. Calor horrori evidenter gravi, prolixo aut & caloribus interſtincto ſuccedens, acer, non ſiccus; pulſus inæqualis, contractus, pro calore debilior; inſignis languor; ſitis infrequens; lingua colore, madoreque fere naturalis; calidior tamen & flaccidior: mens ſui potens, aut

tantum per intervalla delirans, rogataque ad se facile rediens, singularem sistebant morbi typum, qui, velut prioris n. 3. initiis accedebat, sic in suo progressu sequentem sextum sat exacte exprimebat.

In his ægris bubo sub ipsa invasione, aut paulo post prodibat, nullo, aut saltem inconstante levamine; carbunculus solito citius, subinde & serius nascebatur, vixque utilem, concipiebat inflammationem; petechiæ latæ, lapsus virium pedissequæ & indices, intra tertium & sextum diem apparebant, & ægri horum intervallo moriebantur.

Bonam certe ægrorum partem sibi subjiciebat hic typus; sanguineos, plethoricos, pueros, adolescentes, & ætate consistentes.

6. Acutior est pestis, quæ ingruit cum horroris calorisque diuturna successione; magna anxietate & præcordiorum angustia; pulsu sano vix celeriore, exili, haud elato, & prementem digitum non nisi leviter reverberante subinde, & se eidem subducente. Adest simul subita eaque ingens virium prostratio; capitis gravitas, stupor, temulentia; oculorum languor & mœstitia, linguæ flacciditas & exsertæ tremor. Calor valde mitis, fere ut in sanis. Sitis nulla, aut exigua & infrequens. Jam in ipsis initiis nausea vomituritioque, sæpe & ipse vomitus vexat; pusillanimitas & formido mortis tenet. Mite delirant, subinde & mente omnino constant. Respiratio sæpe illibata perstat. Acce-

dit & non raro, progreſſo præſertim morbo, diarrhœa colliqueſcens; rariſſime notas peſtis externas abſuiſſe vidimus. Petechiæ latæ, diſcretæ, lividæ, nigræ, pleroſque deturpabant. Subinde unus alterve carbunculus ſine notabili inflammatione; bubo aut omnino latens, aut haud multum proſtans. Lucta vitæ & necis raro longa eſt, & ingens circum præcordia ardor cum ſiti inexplebili ſolet eſſe ultima mentis in corpore ærumna, quam pro majori minorive mali ſævitie tertii ſextique diei intercarpedo claudere ſolet.

In hunc malorum labyrinthum lapſi ſunt optimæ etiam conſtitutionis, ætatis floridæ, temperamenti ſanguinei & cholerici homines; immo pueri & infantes:

Ad hunc typum pertinuiſſe videtur ſequens æger. In noſocomium, cui præerat D. Bruckmann, adducebatur circa horam tertiam pomeridianam, Valachus triginta quinque circiter annorum, proceræ ſtaturæ, temperiei melancholicæ, valdeque macilentus, qui mox viſitatus pulſum exhibuit languidum quidem, at ſano vix celeriorem, reſpirationem integerrimam; linguam flaccidam, ceterum ſanæ ſimilem; faciem luridam, oculos turbatos; nullum in cute peſtis indicium. Facile erectus ſtabat, & circumambulabat, verebanturque miniſtri, ne auſugeret. Juſſus lectum petiit, & inſuſum ſalviæ aceto medicato acutum ſumpſit. Hora ſexta jam ſterte-

bat aphonos; refpiratio peffima, pulfus celerrimus debiliffimus; paulo poft obiit. Cadaver luftratum nullum itidem dedit externum peftis veftigium.

7. Ultimus, quem obfervavimus, isque acutiffimus peftis gradus erat; quando horror diu & valide perfeverabat, nullo notabili exceptus calore, quin eum, qui fupererat, frigus recurrens interrumpebat; pulfu naturali quidem celeriore, at languido, inæquali, vacuum æmulante. Ægri toti vertiginofi, temulenti, balbi: erecti ftare aut federe impotes proprio pondere labebantur. His apoplexiæ indiciis ut plurimum fefe adjungebat materiæ viridefcentis & æruginofæ, finceræ, fubinde & fimul biliofæ rejectio, quam brevi mors fequebatur intra primum & tertium morbi diem. Signa externa peftis fere folæ petechiæ latæ obfervabantur, quas tamen etiam poft mortem, unum & alterum cadaver non obtulit vifendas. Paucos fane fimiles ægros vidimus: prius enim peribant, quam nunciaretur nobis, aut advocaremur. Sufpicor tamen menfibus Augufto & Septembri, pefte funera denfante, plurimos cum enarratis fymptomatis fubito occubuiffe.

En principes, quos obfervavimus morbi vere prothei typos; quos & ocior feriorve fymptomatum apparitio, concurfus, gradus, multiplicitas mire quantum variant, mifcent, turbant. Et funt ægri, qui ab hoc aut illo typo

ſymptomata mutuantes unius alteriusque extrema quaſi copulant, mediosque exprimunt peſtis decurſus. Notatu digniſſimum diſcrimen adferunt apoſtematum peſtilentium, bubonum videlicet & carbunculorum, ortum ſtipantia phænomena, quæ his ceu dictorum ſummam referre tanto minus piget, quod morbi hiſtoriam magis explanent, prognoſim firment, & therapiam illuſtrent. 1. Subinde vix ulla bubonis ortum præcedit, ſtipatve ægritudo. Ipſe carbunculus nonnunquam prodit prævia tantum miti commotione febrili; manifeſtior tamen plerumque eſt, quam in bubone. 2. Depoſito in bubone, aut carbunculo, aut etiam in utroque miaſmate aliquando evaneſcunt fere omnia, quæ depoſitionem prægreſſa aut comitata ſunt ſymptomata: quin etiam bubonis germen, quando omnia ex voto fiunt, nonnunquam diſparet intra ſat breve tempus: evaneſcunt quoque, ſed rarius, dolores carbunculum nunciantes, quin & ipſa macula rubra ſine effectu. 3. Frequenter majori cum molimine & gravioribus turbis natura ſtimulum peregrinum vincit, protrudit, deponit, & eo depoſito omnia ſymptomata minuuntur; apoſtemataque ſua tempora ſat pacate decurrunt. 4. Nonnunquam quæ poſt depoſitionem remiſerant turbæ, circa diem quartum non raro & prius reſurgunt, exacerbanturque. Ægri velociore humorum motu agitantur, & calore fere & æſtu vexantur. 5. Alii gravibus ſub ipſa invaſione

tentati ſymptomatis a miaſmatis depoſitione non niſi momentaneum reportant levamen ; ſed febris ſuo pergit tramite, tandem & furit. Ægri calent, & æſtuant ut priores, at magis. 6. Sunt queis mox ab horroribus caput ardet, tum & interna : anxie reſpirant ; linguam & fauces ſiccas oſtendunt, & ſiti valida torquentur. Bubones & carbunculi ſine levamine prodeunt, urunt fere, & in progreſſu non ſecus ac morbus princeps mire variant, ſpem metumque alternatim adferentes. 7. Sub ingenti in initio morbi virium proſtratione, interdum cum perpetuo horroris recurſu, & frigoris præſertim in externis ſenſu, adparent oriturorum apoſtematum indicia, at irrita : ſi tamen germen bubonis, aut veſicula carbuncularis erumpunt ; illud aut recedit, aut non creſcit, vixque dolet : hæc quoque nec inſignem dolorem adfert, nec inflammationem, quæ ſi tamen progreſſum quendam nacta eſt, brevi concidit.

Authores, qui de peſte ſcripſerunt, eadem ipſa enumerant ſymptomata, quæ adduxi, addunt tamen quædam, vel a nobis rarius obſervata, vel ſaltem ab allatis fluentia : ſyncopæ ſunt lapſus virium ſequelæ ; proinde adfuerunt procul dubio ſæpius, quam quidem viderimus. Convulſiones teneram ætatem ineunte morbo ſubinde infeſtabant. Tremores diuturni in initio morbi, aut ſub progreſſu recurrentes morbi violentiam teſtabantur. Singultus & ſubſultus tendinum fra-

ctis viribus mortem anteibant. Aurium tinnitus & furditas tumentibus parotidibus potiffimum obfervabantur. Hæmorrhagia narium infrequens fuit: Hæmoptœn, mictum aut alvum cruentam non obfervavimus.

Urinæ febris indolem fat exacte referebant: febre miti, & bonis viribus a fanis vix nifi colore faturiore recedebant: febre acri, putrida, ardente, turbatæ, biliofæ, flammeæ, interdum ftranguriofæ: viribus fractis crudæ, pallidæ, tenues obfervabantur. Alvi dejectiones nihil docuerunt, quam quod febres acutæ vulgares oftendunt.

Pergo nunc ad apoftematum abfolutiorem hiftoriam, cui & petechias vibicesque fubjungam.

Si eos excipias, quos peftis falutat potius, quam tenet, forte nemo evadit, qui faltem bubonis germen non fenferit, & eorum, qui fine eodem moriuntur, morbus folet effe acutiffimus. Neque ulla morborum cognita eft fpecies, in qua tumores fub axillis, inguinibus & pone aures tam cito & vulgariter oriuntur, ficut in pefte. Fallebantur itaque, & fallebant ii Medici, qui, quum videbant infolitum nuper invafiffe morbum, qui acute decurreret, & fingulis pene ægris bubones adferret, hos benignos affeverabant, & morbum peftem effe negabant.

Tenfivus, pungens, vibrans, diftrahens, lancinans verfus inguina, axillas, aures recurrens dolor, jam ante horripilationem plurimis ægris

annunciabat futurum bubonem, qui quandoque jam ſub ipſa horripilatione, ſæpe poſt paucas ab eadem horas, aliquando poſt primum, rariſſime poſt alterum nychthemerum ſedemfigit, unamque ex dictis doloris ſpeciebus ægro creat. Interdum tamen omnia tam pacate fiunt, ut æger malum prius non advertat, quam partem affectam moveat, ut in me ipſo expertus ſum.

Propriam ſedem habebant, inguinales quidem duos tresve digitos transverſos infra femorum commiſſuram circiter ſupra muſculum, quem pectineum appellant. Ipſam commiſſuram, qui occupaverint, duos tantum in meis obſervatis notatos reperio. Subaxillares vero ſeſe collocabant tres fere digitos transverſos infra cavi cognominis fundum, in æqua a tendinibus muſculorum, pectoralis majoris & latiſſimi dorſalis, diſtantia. In ipſo fundo nullum vidi.

Parotidum tumores cum enarratis ſupra phænomenis oriebantur; plerumque tamen tardius, ſæviora eos, ut plurimum, ſtipabant ſymptomata; infrequentiores erant bubonibus inguinalibus, ſeu potius femoralibus, velut & his ſubaxillares. Incertus eſt tumorum numerus; frequentiſſime unus tantum alterutrum inguen; aliquando alterutram axillam occupat. Parotis tumens ut plurimum comitem habet ſub alterutra axilla, aut inguine bubonem. Subinde & una ex axillis, nonnunquam & una parotis infeſtatur. Plures quam tres in eodem ægro tumores non recordor me vidiſſe.

In ipſis primordiis exilem, profunde latentem offerunt tangenti digito duritiem: hanc piſi figura & magnitudine in me, & in nonnullis ægris comperi; lateſcit dein fabamque refert, cujus figuræ fere in omnibus obſervavimus; forte ideo, quia raro ipſis initiis adſtitimus, hæc germina in mitiſſimo & mitiore peſtis gradu, velut in ægris N. 1. & *. ut jam ſupra notavi, diſſipari ſolebant; atque tunc prægreſſi in loco affecto attritus urina oſtendebat indicia, videlicet album, puriforme, nunc parcius, nunc copioſius pro remiſſiore, aut intenſiore febre, ſedimentum.

Obſervavimus quoque, haud infrequenter tales ſub cute adhuc reconditos, ſubinde etiam jam protuberantes, & farcimen oblongum referentes tumores extenuari, & receſſui canere, dein mole augeri. Quam viciſſitudinem nonnulli non ſemel tantum, ſed bis terve exhibuerunt. Immo contigit aliquos tactui jam ſubductos, febre, vel ex materia morboſa nondum plane cocta, aut evacuata, vel ex ſuperveniente extus prophaſi, rurſus comparuiſſe; ex his alios quidem ſine ſuppuratione penitus evanuiſſe, quosdam quoque in abſceſſum abiiſſe.

Neque etiam rarum fuit, bubones, qui ab ipſo ſuo exortu & ſub incremento, talia, quæ eos pus colligere teſtari videbantur, præſetulerunt ſymptomata, his primum minutis dein omnino diſparentibus, jam valde elatos & ovi gallinacei magnitudinem adeptos, per aliquot

dies, unam alteramve feptimanam, fubinde & plures confiftere immotos, ac demum alvo biliofa, aut urina fedimentum album, purulentum, copiofum educente diffipari. Vidimus quoque abruptam fuppurationem in his refufcitari, ac demum per effufionem puris abfolvi.

Obtinet itaque in bubonibus peftilentibus, non fecus, ac in tumoribus inflammatoriis vulgaribus, refolutio, feu, fi mavis, diffipatio; habetque fuos gradus & fua tempora, ut ex dictis abunde colligitur. Eam vero in ægris vel maxime expectare licet, queis folida facile flexilia, humores blandi, copiofi, meabiles, horumque remiffus, aut faltem non multum excedens motus obfervantur. Unde etiam ex illis, qui ut numero fexto & feptimo affecti fuere, fiquidem reftituti fuerint, hoc beneficio non caruerunt. In abfceffum itaque potiffimum abibant, & abire folent, ubi folida rigidiora, humores parciores, acriores, denfiores; febris intenfior adeft. Huc quoque facit, quæ per febrem acui videtur, miafmatis virulentia, utpote quæ fæviorem multo inflammationem, carbunculum videlicet, etiam in euchymis produxiffe obfervata fuit. Aliquando & ipfi buboni carbunculus fupercrefcit, & tunc bubo celerius pus concipere, & fundere folet.

Abfceffum reapfe fieri eadem ipfa phænomena indicant, quæ extra peftem apparent. Ægri enim tunc majorem dolorem, fi fuerat exiguus,

minorem, ſi prius erat valde magnus, eumque pulſantem, aut ſaltem formicantem ex loco affecto queruntur; tumor hucuſque vix conſpicuus foras protuberat, & cutem, quæ ante, niſi fors ab applicatis, nondum rubebat, inflammat, principe morbo ſimul remittente, aut jam remiſſionem adepto; quamdiu enim hic furit, bubo vix conſideratu dignum, aut quod vincentis naturæ opus ſit, vel ſaltem utile acquirit incrementum.

Unde jam intelligitur maturationem abſceſſuri bubonis valde lente in omnibus fere ægris procedere; utut enim ſeptimo nonoque die abſolutam aliquando viderimus, communiſſime tamen ad decimum quartum, vigeſimumque protendi ſolet; prout videlicet vires plus minusve fuerint labefactatæ, aliave occurrerint maturationis impedimenta; inter quæ febris in toto & in parte defectus, aut inertia frequentiſſimum tenet locum.

Maturus bubo eadem itidem, quæ abſceſſus vulgares, offert phænomena, quæ nemini nota non ſunt. Notatu tamen dignum eſt, quod, quum bubo profunde lateat, ex imo creſcat, inflammeturque, maturationem adeptus cutis immutatum colorem ſæpe exhibeat, ipſeque plerumque vulgaribus tumoribus maturis durior appareat. Unde cutis colore & tumoris renixu præciſe ſtandum non eſt. Sed prægreſſa phænomena, & alia nunc præſentia indicia ſimul conſi-

deranda ſunt. Sic non raro probe maturos aperiri juſſimus, qui externa ſpecie tales non videbantur.

Neque opus eſt, ut mala recenſeam, quæ ab apertionis neglectu oriri queunt. Eadem enim ſunt, ut in abſceſſibus vulgaribus. Vir mediæ ætatis peſtem feliciter eluctatus neglexit bubonem, quem ſub axilla gerebat. Lanceola tandem apertus dedit ſaniem copioſam, tenuem, fœtidam; quæ ſacco ad quintam uſque coſtam veram pertingente continebatur. Hujus apertionem pertinaciſſime recuſavit. Fors inutilis fuiſſet. Nam corruptela ſanguinem jam infecerat. Mortuus tandem eſt phthiſicus.

Apertus ſponte aut arte maturus bubo, ut vulgares abſceſſus, pus album, craſſum, læve, æquabile, modorum vulgarium abceſſum inſtar fundit. Si ab his conditionibus recedit; ſi ulcus ichore, ſanie, ſordibus deturpatum coaleſcere renuit; culpa ab iis ipſis cauſis, quæ in aliis morbis occurrunt, repetenda eſt.

Bubones peſtilentes in verum ſcirrhum abire poſſe, in proprio expertus ſum corpore. Perfecte ſcirrhoſum vidi in homine, qui talem retulerat ex peſte anni 1718. & ſine incommodo gerebat. Interim tales caſus eſſe rariſſimos inde conjicio, quod eorum nemo authorum, quos legi, meminerit. Præterea omnes omnium infectorum Diſtrictus Coronenſis locorum, peſte functi, eadem ubique extincta, a Medicis

& Chirurgis visitati sunt, nullusque in eorum relationibus notatur indurato bubone insignitus. Unde pronum est credere, scirrhosos bubones non tam morbi, quam perversæ medelæ effectus esse.

An bubones vera gangræna, alia videlicet, quam quæ a carbunculo fors insidente inducta fuerit, afficiantur, vix dubito. Vidi enim in morti vicinis bubones coloris fusci, nigri, cinerei.

Occurrerunt, sed raro, tumores bubonum æmuli, præter morem alias corporis partes obsidentes (a) virum & feminam conjuges cura-

---

(a) Est tumoris quædam species inter bubonem carbunculumque media, quam nupera pestis anni 1713. in Ungaria & Austria obviam habuit, ut refert Medicus castrensis Antonius Loigk: *Primo*, inquit, *vesicula carbunculo similis cum pruritu & ardore apparet, cujus circumferentia furunculi ad instar attollitur, furunculum prima fronte mentiens, sed dein intra duorum, trium, aut quatuor dierum spatium in tumorem anserino ovo crassitie similem, & farciminis ad instar oblongum, eumque lividum referens excrescit, annulo in sui ambitu inflammato circumscriptum, & carbunculi lapidis more radiantes strias & persico & sacro igni conformes procul spargentem. Interim præmemorata vesicula in crustam laridaceam coalescit, qua pariter vel sponte aut artis ope separata ingens purulentæ materiæ copia e præsenti tumore velut bursa effluit, ordinarie in fronte, occipite, genis, supra axillas, genu, digitis, aliisque membranosis, & osseis partibus solet protuberare.* Nobis tales videre non contigit. Ad eas tamen quadantenus accedere videntur, quos supercrescentes Bubonibus Carbunculi exhibebant.

vi, queis super externo maxillæ inferioris angulo, illæsa fere parotide, tales tumores, morbo ceterum satis miti existente, insederunt, maturuerunt, & abscesserunt. Clavicularum arcubus, & brachio supra cubitum similes tumores quoque sedem fixerunt, nucem juglandem æquantes, subinde & excedentes, qui sine abscessu dissipabantur. In puella decenni præter bubonem, quem sub axilla dextra gerebat, vidi in hypochondrio dextro immediate sub infima costa spuria alium tumorem, qui ex incremento dolorifero ad minoris ovi gallinacei magnitudinem excrevit, tandem una cum bubone evanuit, & sanam reliquit.

Durante vi morbi raro retrocedebant bubones, & tunc æger in pejus ruebat, & si vires restitui renuerent, omnino moriebatur. Idem ille regressus jam extra periculum constitutis obtigit potissimum ex regiminis errore. Velut dum nimis audaces libero aeri se temere exposuerunt. Vidimus tunc evanido buboni petechias parvas vel ophthalmiam, aliquando utrumque affectum successisse.

Ex his omnibus aperta est bubonis pestilentis definitio. Est enim tumor phlogisticus, in ipso morbi principio natus, profunde latens dolensque; pro ratione virium & morbi genio plus minusve cum dolore crescens; subinde sine suppuratione evanescens; sæpius eodem, quo tumores inflammatorii vulgares ritu, transiens

in abſceſſum. Ortus, ſitus, febris comitis indoles & circumſtantiæ, ab iis, quos lues venerea, & febres acutæ vulgares exhibent, eum plane diſtingunt.

Carbunculos tradunt quidem nonnulli ſine bubonibus apparuiſſe. Quum vero bubonum reſolvendorum minus meminerint, ſuſpicari licet, ubi carbunculos ſolitarios fuiſſe dixerunt, bubonis germen ſi non ſemper, ſaltem frequentiſſime proſtitiſſe. Quidquid ſit, ut bubones abſque carbunculis oriri obvium eſt, ita hos ſine illorum ſaltem germine per quam rariſſimos eſſe reor.

Neque unquam obſervavimus bubones ortis ſuperveniſſe carbunculis: ſed hi conſtanter ſerius apparebant altero exeunte, tertio, quartove morbi die, ſubinde & ſerius. Medius horum terminorum videlicet quartus dies, ut communiſſime carbunculos dabat, ſic ceteris paribus minus periculi adferre ſolebat.

Membrum, ubi ſedem figere geſtiebat carbunculus, dolore pungente, lancinante, diſtrahente, arthritici æmulo frequenter torquebatur. Illum vidimus raro quidem, ſine ulteriore malo diſſipatum. Collectus vero in puncto urens, ardenſque cum duritie dolor ipſam ſedem deſignabat. Mox ſequebatur macula ei ſimilis, quæ variolas præſagit. Paulo poſt ibidem ſolvitur epidermis & baſi duræ, dolenti, rubenti, ardenti, tumenti ſupercreſcit exilis papula una, ſubinde & plures, ſero flaveſcen-

te turgida, quæ non raro in magnitudinem nucis avellanæ assurgit, liquore tunc opaco lactescente, dein flavo, fusco, aut nigrescente distenta, quæ rupta fundum ostendit nigrum. Præfatam maculam raro, papulam miliarem multo rarius sine ulteriore progressu evanuisse vidimus.

Stigma, quod rupta vesicula offert, fractis ægri viribus manet immutatum, peripheria livescente, tumore vix ullo, aut si quis fuit, collabente. Ubi vero plus virium in ægro est, tumor effertur, dolet, rubet, ardet, latescit; serpitque ab eodem stigmate ceu centro circumjectam carnem siderans nigror tamdiu, donec deposita ibidem virulenta materia, natura victrix siderationi finem imponat, & mortuam carnem a viva abscindat. Tunc inflammatio sideratioque aliquanto intervallo consistit: rumpitur dein epidermis & in peripheria sideratæ carnis cavitatem annularem offert humore ei simillimo, quem in vulneribus sanescentibus observare est, madentem.

Atqui sic insit escharæ separatio. Ut in cutis superficie sic circum, circa, & infra vasorum extremitates solvuntur, eundemque plorant humorem; qui fibras cohærentes macerando rumpit, dum interea eschara sese contrahit, divulsionemque accelerat, tandem omnibus, per quas vivæ carni cohæret, sic maceratis tabefactisque fibris, cadit moles mortua. Ulcus relinquit vulnerum ad instar, quæ cum jactura substan-

ſtantiæ appellantur. Sub hoc itaque ſtadio, niſi fors acrimonia inſit humoribus, ægri nullum dolorem ſentiunt, quam qui ab eſcharæ vivæ carni adhuc nexæ contractione, aut a partis affectæ motu oriri poteſt.

Quemadmodum vero ex enarratis morbi typis facile intelligitur, a febris intenſitate inertiave, a ſolidorum rigiditate, a fluidorum corruptela & acrimonia, & a variis, quæ ſupervenire queunt epigenomenis, non tantum ſub ipſa carbunculi inflammatione, ſed etiam ſub ſeparatione multiplicia naſci poſſe obſtacula, quæ optimos, & ex ſe ſalutares naturæ conatus retardent, pervertant, ſiſtant: ita non obſcurum fit, utrumque ſtadium, etiam ubi ægri emergunt, non in omnibus intra eandem moram abſolvi. Interim quando omnia ad votum cedunt, carbunculus mediocris quarto a ſuo ortu die ſeparationem inchoare, & eodem intervallo ipſam adipiſci ſolet.

Vix ullus eſt in ſuperficie corporis locus, quem carbunculi occupare non poſſint. Immo, ut dixi, ipſis bubonibus quandoque ſupercreſcunt. Ut plurimum tamen truncum & artus infeſtabant. Rariſſimi fuerunt in extremo pede & manu. Prope tendinem achillis, ſub poplitibus, & in mammarum peripheria funeſtum, plerumque exitum ſortiebantur. Vidi mulierem in tertium menſem gravidam, cujus mammæ ſiniſtræ diſcum tres carbunculi obſidebant, feliciter emerſiſſe. In capillata capitis parte unicum vi-

di in infante bienni, qui reconvaluit. Unus in quadam muliere vulvæ adſidebat. Puerperæ ex peſte mortuæ in tertium diem ſuperſtes fœtus in præputio veſiculam carbuncularem oſtendit, cui commortuus eſt. Valacha mulier ſerius, ut ſolenne erat, in noſocomium adducta, linguam aſpectu horrendam exhibuit, quam carbunculo ſic deturpatam fuiſſe ſuſpicati ſumus. Brevi poſt mortua eſt.

Nonnulli quidem Scriptores tradiderunt, carbunculos ipſam muſculorum carnem aliquando depaviſſe. Nos ſolam cutem, eique ſubſtratam adipem, ſideratam obſervavimus. Mulier tamen ſexagenaria, quæ furente morbo domi delituerat, veram oſſis ſacri & adjacentium muſculorum gangrænam exhibuit, quæ non adeo a carbunculi malignitate, quam a decubitu orta fuiſſe videtur.

Numerus carbunculorum varius omnino fuit; multi unum tantum, aliqui duos, tres, quatuor & plures. In uno ægro duodecim numeravi. Solitarii ut plurimum erant pluribus majores. Quorundam eſcharæ ſex aut octo lineas, multorum unciam æquabant aut & ſuperabant. Omnium maximum vidimus in milite ex duorum confluxu natum, qui totum hypogaſtrium explebat, a quo ſanatus illud retulit incommodum, quod pars debilior ſit & frigoris impatiens; hinc hyeme eandem pelle leporina tegere ſolet.

An carbunculus internas partes aliquando infeſtarit, vix auſim ex propria obſervatione aſſerere. Semel tantum idque in proprio famulo tale malum ſuſpicatus ſum; is enim circa ſeptimum diem dolorem urentem internum ſub coſta tertia vera e regione bubonis quem gerebat queſtus, decimum ſeptimum diem attigit, quo mortuus eſt. Suſpicionem auxerunt viſi, ut prius ajebam, bubonibus inſedentes carbunculi; quos tamen tam ſero ortos nuſquam vidimus.

Hyeme & vere multo rariores eſſe ſolent, quam æſtate, & ineunte autumno. Sic ex 22. infectis ad pylas Tœmœſenſes duo tantum infantes carbunculum exhibuerunt. Peſtem anno 1762. menſe Novembri quædam Panatus Temeſvarini loca ingreſſam nullum prodidiſſe carbunculum, perhibent duo, qui adfuerunt, Chirurgi.

Vidimus carbunculos valde parvos; qui in ſuo primordio cutem in papulam aut veſiculam non elevabant: ſed tantum ex macula rubra, itidem, ut priores cum duritie, ardore naſcebantur. Tumor tamen haud inſignis & inflammatio fere tantum ſuperficiaria erat. Fiebat leniſſima ſuppuratio circum centrum, quod nequaquam in pus ſolvebatur, ſed implantatum perſtabat, areſcebat, & tandem ſponte decidebat, cicatricemque, & foveolam relinquebat tractu temporis plane delendam.

Apparuerunt quoque veſiculæ, plerumque oblongæ, quarum peripheria, valde anguſta

rubebat, cutis tamen ſuperficiem fere æquabat. Hæ ſponte aut arte ruptæ, ex ſeſe facile & ſine ulla cicatrice ſaneſcebant. Hydatidum appellatione has innuiſſe videntur, qui de peſte ſcripſerunt Medici.

Eſt in his regionibus non infrequens inflammationis ſpecies, quæ utut cauſa, phænomenis, progreſſu & exitu plurimum a carbunculis diſcrepet, nonnullis tamen, præſertim extraneis Chirurgis, peſtem non minus falſe, quam temerario propalandi anſam præbuit. Germani cauſticam puſtulam, ſeu Brandblatter, Valachi Buboreu, ſeu malignam bullam appellant. Eam hic deſcribere propono, non quod ad peſtem proprie pertineat, ſed ut impoſterum error vitetur.

Qui afficiendus eſt homo, ut plurimum ſe antea alteratum ſentit, levem horrorem, capitis dolorem, inquietem, febriculam experitur. Serius ocyusve membrum, quo decumbere ambit, moleſtatur vibrante, diſtrahente, per intervalla recurrente dolore, qui dein cum rubore & ardore, pruritu ſedem figit. Sub his ipſis ſymptomatibus effertur veſicula, & non ſecus ac, quæ ab ambuſto eſt, humore pellucido turgida, nucem avellanam magnitudine æquans, ſubinde & ſuperans. Sub hac mitigatur dolor, ardorque, qui una cum rubore adhuc peripheriam tenet. Hanc aucta ut plurimum veſicula anguſtat, epidermidem extenuat, & ipſa tandem cum om-

nium ſymptomatum inſigni levamine rumpitur, liquidum ſeroſum fundit, & fundum exhibet rubrum. Recreſcit dein epidermis nullam poſt ſe relinquens cicatricem.

Etſi vero hoc malum ex ſeſe vix aliud periculi portendat, nemo tamen non intelligit, ex indumentorum attritu, acrium aut repercutientium applicatu, calidorum remediorum uſu, aut perverſa quacumque alia medicatione, non ipſam tantum affectionem exacerbari, tumere, vehementer inflammari, ſed etiam febrem validam, auctamque, immo acutiſſimam, lethalemque excitari poſſe. Unde exempla non deſunt, homines intra triduum, & quatriduum periiſſe. Quantum vero hoc malum a carbunculo peſtilente diſferat, patebit utriusque diſcriptionem conferenti.

Eſt itaque carbunculus, peſtilens tumor, ſumme phlogiſticus, ex exili puſtula cum ardoris ſenſu natus, celerrime progrediens, cutem ſubjectamque adipem elevans, gangrænoſe depaſcens; tandem ſideratam carnem a viva reſcindens, ulcuſque cum jactura ſubſtantiæ relinquens.

Petechiæ parvæ, numeroſæ, confertæ quarto, ſeptimo, nono & ſubinde ſeriori die, præeunte ſæpe tuſſicula, & levi, quæ non aderat, anxietate, morbo etiam ceterum ad votum pergente, cum levamine omnium ſymptomatum, ortis bubonibus & carbunculis, ſuperveniebant in multis ægris, & unum alterumve nycthemerum proſtabant rubræ, ſenſimque minus coloratæ

tandem evanefcebant. Contigit quoque, ut jam fugatæ, ex reacerbata febre rurfus comparerent: quin etiam reconvalefcentes quidam libero aeri fefe exponentes, bubone remeante, eos fubinde & ophthalmiam reportaverunt. Menfe Novembri & Decembri fortitus eft D. Bruckmann aliquot ægros, qui his maculis, fine bubonibus & carbunculis deturpabantur, morbo principe non adeo fævo exiftente. Hinc ex his nullus periit.

Maculæ latiffimæ, concolores, rubræ purpureæve, nunc brachia, nunc femora, pedes, pectus obfidentes una cum bubonibus & carbunculis, fubinde & cum ipfis his petechiis, nonnunquam apparuere; quæ non majorem habebant difficultatem.

Petechiæ vero difcretæ, latæ, lentem diametro æquantes fubinde, & excedentes, magnæ virium proftrationi, remeante, aut faltem mollefcente bubone, concidente carbunculi inflammatione, intra fecundum, tertium, quartum, quintum & fextum morbi diem, raro ferius occurrebant, funefto plerumque, ut fponte patet, eventu. Peffimæ erant, quas nec bubo, nec carbunculus præcedebant; & hæ exeunte primo, aut ineunte altero morbi die prodibant.

An hæ miafmatis & peftis, priores vero feu exiles febris comitis funt effectus? Profecto illarum in celerrimo morbi, eoque fere femper funefto morbi decurfu; harum vero, ut plurimum cum ægri levamine ortus, & minus, quod

comparatæ ad lenticulares ſub omni intuitu habent diſcrimen, aliam cauſam innuere videntur.

Unum mulieris defunctæ cadaver lenticularium petechiarum loco exhibuit diſcretas, piperis granum colore, & mole referentes puſtulas, quarum Authores quoque meminerunt. Obſcurum tamen eſt, an hæ ejusdem fuerint, ut illæ proſapiæ. Si has bullas in vivente videre contigiſſet, facilior eſſet dijudicatio.

Una cum petechiis lenticularibus apparebant, raro quidem, maculæ purpureæ, lividæque nigrioribus lineis, velut inflagellatis, interſtinctæ, quæ a carbunculo velut radii porrigebantur. Aliquando quoque ſolitariæ erant, præſertim in partibus, queis mox ſub cute tendines ſubſternuntur. Vibices appellantur.

Scabies reconvaleſcentes, aut etiam omnino reſtitutos interdum infeſtavit. Hanc congrua alvi ſuductio prævertit, & abegit.

Enarratis, quæ peſte correpti exhibent, phænomenis, & ſymptomatis confectaneum eſt, ut morbi diagnoſin, & prognoſin eliciam. Illi quidem definiendæ tanto attentius, operóſiusque adlaborandum eſt Medico, quod non jam hominis privati, ſed communitatis, provinciæ, regni res & ſalus agatur. Certe nulla ignoratio, nulla reticentia, nullus error, nulla opinionis cujuſcumque perverſitas tanta reipublicæ adferre queunt damna, quam in re tam ſeria & gravi ſiniſtra judicia, aut præpoſteræ cuncta-

tiones, diſſenſiones, altercationes. Numquid omnium, quotquot tempeſtiva opportunaque providentia & præcautio avertiſſet, malorum reos ſe faciunt, qui inſcitia, incuria, conniventia, præoccupatione, pertinacia peſtis, progreſſui, ut ita dicam, patrocinantur? Atqui tamen præſtantiſſimi Medici haud adeo quidem peſtem aſſerendo, ubi non erat, quam negando, dum erat, hallucinati & decepti leguntur. Utinam poſteri errorem tam damnoſum, me monente, vitent!

Dixi ſuperiore capite, vix ullo exemplo aut argumento evinci poſſe, peſtem in hac, quam incolimus, univerſi parte aliunde, quam ex miaſmate ab orientalibus maris mediterranei oris adlato, primitus erupiſſe. Præterea neminem latet, peſtem acutie ceteros, queis ſe febris jungit, morbos antecellere. Hinc in omnibus fere, quos necat, talia mox obtinere ſymptomata, quæ in aliis morbis nonniſi ſerius obſervantur, eademque ſic tumultuari, ut morientium bona pars quartum diem vix ſuperet, reliqua ſeptimum ægre attingat. Præterea obſervatum eſt, ut jam dixi, pereuntium numerum, niſi medela mox præſto ſit, numero emergentium, ſuperiorem aut æqualem, aut ſaltem valde propinquum eſſe. Tandem notatu quoque digniſſimum eſt, peſtem non alia ratione, quam infectorum conſortio, & inquinati fomitis uſu, in ſanos transferri. Irrefragabilis enim docuit ex-

perientia, multas loci infecti domos familiasque, quæ has vitavere occasiones, intactas, immunesque perstitisse. Unde pronum est, ex domo, ex familia, consanguinitate, vicinitate primi defuncti, alium & alium lue corripi, tanto quidem magis, quod, qui supestites afficiunt, dolor, luctus, mœror, susceptum miasma excitent, ut ex dictis C. 2. facile colligitur. Quæ quidem omnia, si adesse comperiantur, magnam jam ingerunt pestis præsentis suspicionem.

Si vero præterea constiterit, luem in vicinia grassari, miasmaque seu per homines, seu per fomitem adferri potuisse; si ex his ipsis advenis, aut eosdem congressis, fomiteve usis, vel unum horrore, subitanea virium prostratione, capitis stupore, temulentia, anxietate, animi dejectione sine causa manifesta correptum fuisse; pulsu, calore, respiratione, urina in initio vix mutatis; petechiis latis, discretis, ante aut post mortem conspicuis, intra primum, alterum aut tertium nycthemerum obiisse: tanta se jam prodit in uno hoc casu morbi causas vulgares excedentis verisimilitudo, ut Medicus, si non omnino pestem, saltem morbum suspectissimum renunciare Magistratui; hic vero subditorum saluti prospicere, nihilque non ordinare teneatur, quod extinguendo imminenti incendio conducat.

Ast si ipse æger sub ipsa jam invasione, aut post eandem sub inguinum commissuris, sub axil-

lis, pone aures, dolorem queſtus fuerit; ſi duri-ties ibidem, aut tumor ſeſe exſeruerit, firmior omnino evadit diagnoſis. Vix enim notum eſſe credo morbum, qui ſymptomata iis, quæ attuli, ſimilia cum tali dolore, duritie, tumore, ex loco, & adeo cito conjungat, qui non ſit ipſa peſtis.

Si & ipſe morbus, in quibuſdam ægris mitior tumores illos protrudit, auget, & ſub reconvaleſcentia in abſceſſum ducit, ſubinde & diſſipat, tanto minor jam ſupereſt de vera peſte dubitatio, quum & una aliorum præceps mors intercedat, enarratique ſupra typi ſeſe in ægris magis magiſque declarent, & prodant.

Tandem ſi vel in uno ægro reliquis indiciis acceſſerit inſignitus ſuis phænomenis carbunculus; Coronenſibus pertinacior ſit oportet, qui peſtem eſſe negaverit.

Quemadmodum vero declarata jam peſte uniuſcujusque boni civis intereſt, & ſuæ, & alienæ ſecuritati conſulere, proin omnem anſam, unde malum diſſeminari poſſet, removere: ita ad idem tenentur arctiori præ ceteris Medici obligatione, quam pariunt artis, quam profitentur officium, & fiducia, quam in eorum peritia Reſpublica ponit. Non poſſum tamen me temperare, quin moleſtias aperiam, quæ eos præſertim manent, qui vulgaribus morbis in loco infecto reſervantur. Nempe ab unoquoque tali Medico exigere ſolent proceres 1. Ut omnem

cum pestiferis vitet societatem, ne videlicet malum disseminet. 2. Omnes ægros mox indicet, quos peste infectos invenerit, & noverit, ut ipsi in nosocomia transvehi, aut saltem domi includi; eorum vero consortio inquinati, adhuc sani, in lazaretha duci queant. 3. Ipse sibi hominum usu interdicat, si forte fortuna in ægrum impegerit, quem nesciebat, aut non credebat ex peste laborare.

Ut autem satisfaceret, ante omnia opus foret, ut quodam proprio, semper præsente, nullius ægritudinis communi, patente, nec mendacio, nec ulla arte reticendo, abscondendove indicio pestis sese distingueret; quo ab ægro, domesticis, assistentibusve eminus intellecto Medicus sine dubitatione, & falsi periculo asseverare posset, hunc individuo ægrum peste & non alio morbo teneri. Verum omne, quod habemus, signum in serie, & congerie præcipuorum saltem symptomatum consistit, quæ simul non existunt, nec eadem in singulis inveniuntur. Et dantur ægri, qui unum, alterumve nycthemerum vix alia, quam febris continuæ simplicis indicia præbent, ut jam dixi. Si ergo ad ægrum, levis tantum prophasios conscium, at simul & reapse peste infectum Medicus advocatur, quid aliud expiscari, & ex symptomatis præsentibus colligere poteſt, quam pestis ineuntis suspicionem? Quid faciat? An ægrum denunciet? At mox aderunt ministri, qui inopinum, sui

mali inſcium, invitum, reluctantem prehendendo, tum ipſum, tum uxorem, liberos, domeſticos, vicinos in terrorem, furorem, mœſtiſtiam conjicient; hos quidem aut in ſua habitatione feris concludent, aut inde in lazarethum exturbabunt; illum in noſocomium transferent. Atqui prævidet Medicus, tales turbas ægro nunc adhuc belle habenti damnoſiſſimas fore, & ceteris ſummum malum, quo fors ſecus non tangerentur, accerſiri. Numquid conſcientia Medicum arguet ægro mortis, & ſanis morbi, ex conjectura, utut ceterum veriſimillima, occaſioni de induſtria fuiſſe? An non potius humanitas, probitas, æquitas ſilentium ſuadebunt, aut plane indicent?

Verum ſi nunc ſilet & evidentiora expectat indicia; protrahitur, & augetur interea apud domeſticos ægri peſtis periculum, metusque eſt, ne tum ipſi, tum qui ægrum inviſent, miaſma ſuſcipiant, circumferant, & communicent. Nonne ergo Medicus omnium hominum, qui ab hac origine proxime, aut remote peſtem contraxerint, necium, aliarumque ærumnarum reum ſe facit? Nonne & ipſe in primo aditu miaſma intra ſe & in veſtibus ſuſcipere, & aliis tradere poterit? An humanæ ſocietati, an uxori, liberis, domeſticis ſe ſubtrahat? Verum præter quam, quod dura ſint hæc incommoda, eadem ſubeuns Medicus fit, ſaltem ad tempus, inutile Reipublicæ membrum.

Quocumque igitur se vertat, qui in loco infecto ægrotis vulgaribus medicinam facit, scopulos invenit, in quorum unum aut alterum inevitabili necessitate impingere debet.

Si autem ex peculiari intuitu obsequii, quod Medicus præstat, brevior ei dictetur clausura, seu quarentana, nonne & eandem jure alii flagitabunt indulgentiam. Et profecto si Medicus artem quandam callere putatur, qua miasma & a se, & a vestibus suis cito excutiat; quid obstat, eandem hanc artem ceteris applicari?

Prognosis non tanta quidem parit Medico incommoda, multo tamen est difficilior, incertior fallaciorque. Profecto si acutorum morborum non omnino tutas vitæ, & mortis prædictiones pronunciavit Medicinæ Parens, quam in lubrico sint oportet, quæ circa omnium acutissimi, perniciosissimi, mutabilissimique morbi exitum versantur? Videlicet vere protheus morbus non in variis tantum, sed in uno, eodemque ægro intra breve tempus novas induit formas, nova offert phænomena; novas aperit origine, nexu, progressu, successu mire variantes scenas. In hoc ægro levis invasio imprævisam mox parit malorum catervam: in isto terrifica initia salutarem nanciscuntur exitum: ille præter spem emergit, quem morbi gravitas morte damnare videbatur. Alter perit, qui se vix ægrum existimat: tertium videas sanorum more circumambulantem, qui post paucas mortis cadet victima.

Providum itaque cautumque, præsertim sub initiis, oportet esse Medicum, qui suæ gerit curam famæ. Interim ut in omnibus morbis, sic in peste a viribus vitæ optima petitur prognosis. Earum vero status a functionum læsarum momento, & cum vita necessitudine, ab earundem inter se consensu aut discrepantia; a juvaminis constantia, aut labilitate; ab excretionum, secretionumque profectu, indole, effectu dijudicari debet. Non est itaque, cur multos adducam prognoseos canones. En præcipuos:

1. Æger, qui constantibus viribus quartum diem emetitur, in optima est recuperandæ sanitatis spe, modo moriger sit, & congrue tractetur.

2. Mitis ad tactum calor; toto corpore æquabilis, pulsus constanter fortis salutarem pollicentur morbi exitum.

3. Bubones & carbunculi, quos levamen comitatur, naturam morbo superiorem indicant.

4. Sudor lenis & constans bubonum, carbunculorumque exortum, & elationem præeuns, aut comitans, nauseam, anxietatemque tollens, ægros fere in tuto collocat.

5. Vomitus, & alvi fluxus, siquidem saburram in primis viis stabulantem moderate, & sine virium decremento evacuant, sunt salutares.

6. Petechiæ miliares quarto, septimove morbi die apparentes, nullum per se periculum intentant.

7. Calor præter rationem intenſus, aut mitis uterque malus; pejor, ſi ſimul ſit inæqualis.

8. Bubo cunctanter prodeuns, non levans, aut cum virium decremento retrocedens, ingens periculum intentat. Item carbunculus, qui non inflammatur, aut inflammatus concidit.

9. Bubones, & carbunculi mox ſub ipſa invaſione cum ingenti virium proſtratione oriundi, irrita ſunt naturæ molimina.

10. Sudores magnæ imbecillitati juncti, aut ſupervenientes tumorum colliquationem denunciant.

11. Vomitus, & diarrhæa, quæ inſignis encephali læſiones comitantur, aut ſequuntur, perniciem ferunt.

12. Petechiæ latæ, diſcretæ, nigræ mox initio conſpicuæ lethales; quæ ſerius apparent, vix non quoque ſunt exitiales.

13. Subita, & ingens virium proſtratio fatuitati, & balbutiei juncta, lethalem morbi exitum denunciat.

14. Nullus dolor, nullus ardor, pulſus ſano vix velocior, & ſimul debilis, tangenti digito ſe fere ſubducens, faciei & totius corporis livor vitale robur fere extinctum ſignificant, ſive adſint eruptiones, ſive non.

15. In ſumma, quo ocyus, quo plura, quo graviora conſpiciuntur ſymptomata, qualia ſub augmento ſtatu & funeſto vulgarium morborum exitu apparent, tanto pejus res ægri peſte infecti agitur.

CAPUT IV.

De Curatione Pestis.

Miasma, pestis princeps causa, tam tenue, subtileque est, ut per venas resorbentes in intimos corporis recessus sese penetret, & per vasa exhalantia, cum materia perspirabili, quamdiu vires manent integræ, educatur sine noxa, ut ante dictum est; verum certissima docent observata id ipsum quoque jam actuosum superstite, aut mox redintegrata, congruisque suppetiis suffulta vi vitæ per cutis spiracula plane exterminari, hominemque, quem insiluerat, intra breve temporis intervallum, omni dote sanum relinquere. Sic, si reapse pestis initium erat, quæ me primum tenuit ægritudo, & cui similem in duobus hominibus observavi, oborta diapnœ evanuit. Sic Diemerbrœckius multo graviore, evidentioreque aliquoties petitus insultu, per opportunam medelam ab ulteriore morbo se ipse vindicavit. Similia & nos exempla vidimus.

Longe vulgatissimus, quo natura malum vincit, & expedit, modus est, ubi hæc, ex quacumque demum causa, totam noxam amoliri impos, partem, eamque, ut videtur rebelliorem, ad certa superficiei corporis loca ablegat; &

& deponit; partem reliquam mobiliorem per cutis poros propulsat, expellit. Materia enim, quæ bubones, carbunculosque facit, non est tota morbi, sed tantum pars. Neque ulla confert apostasis, quam non comitetur, aut sequatur naturæ accommoda cutis excretio: immo hæc materiam deponi gestientem, nonnunquam & jam depositam subinde educit, ut supra de bubonibus, & carbunculis agens notavi.

Prior quidem sanatio absque adventitio eoque opportuno, & prompto subsidio rarissime, si unquam locum habet. Venenum enim aut primo adortu vitam mox enervat, aut leni, subdoloque aggressu pedetentim sic solvit, & labefactat, ut ipsa hosti ex recessibus, quo furtim sese penetravit, nedum exturbando, forasque ejiciendo; sed interdum ne amoliendo quidem, & ad superficiem corporis ablegando sibi jam non amplius sufficiat. Hinc non adeo rarum est, peste correptos sine apostasibus perire.

Ubi autem vita his protrudendis pares habet vires, in ancipiti tamen adhuc stat discrimine, ne intra promovendum, absolvendumque, quod feliciter inchoavit opus, ipsa se frustra consumat, aut in offendicula, sive ex ipso certamine gignenda, aut a foris ventura impingat, quæ contranitentem omnino dejiciant, vel in transversum agant, vel in enormes, perniciosofque concitent motus, queis ipsa tandem succumbat.

Quum itaque natura ſibi relicta in ſanatione peſtis tam ſæpe deficiat, vacillet, erret, & tam raro victrix emergat, non ſine quadam veri ſpecie contendit Sydenhamus, *Medicum, qui in aliorum morborum medicatione naturæ ductum, ac propenſionem preſſim, ac paſſibus æquis ſequi tenetur, hic ejusdem auſpiciis renunciare debere. Cujus quidem*, inquit, *effati veritatem, quia pauciſſimi hactenus perſpexerunt, hinc numerus eorum, quos tumulo peſtis intulit, haud paulo auctior evaſit.*

An ergo, quæ obſervatione nititur, & ratione, quæque ſuas operationes ad natutæ ſanantis normam accommodat, dirigit, exigit therapia, ſanationis ſucceſſu in ceteris morbis feliciſſima, in peſte ſterilis, aut plane noxia eſſe poſſit?

Profecto peſtis nunquam tam atrox viſa eſt, unde nemo emergeret; in illis ergo, queis vitam donat, ipſa offert typum, quem oportet, ars imitetur, & ad quem revocet ægros, qui ab eodem virium defectu, exceſſuve, ſolidorum, fluidorumque vitio, offendiculorum occurſu, aliave quacunque conditione deſciſcunt. Numquid vita imbecillis erigi, vacillans fulciri, errans reduci poſtulat? Numquid quæ imminent obſtacula prævertere, præſentia tollere, aut ſaltem levare oportet? An aliunde quam a naturæ ductu & propenſione agendorum indicationes, & ferendarum ſuppetiarum ratio petenda eſt Medico?

Et duplex, quam supra proposui, sanatio abunde evincit ad salutarem miasmatis pestiferi exterminationem, depositionemque eas conferre, & propemodum requiri conditiones, quæ in hominibus probe perspirantibus, aut sine incommodo sudantibus observantur. Si itaque humorum motus excessu peccat, aut defectu, si materia perspirabilis ex propria indole, aut vehiculi inopia minus meabilis existit; si hanc urgens vomitus, aut detonans diarrhœa divertit; si vasa perspirantia animi affectus, anxietasque spasmo stringit, aliudve præsto est obstaculum, frustra est omnis medicatio, quæ miasma versus cutem propellere, per eamque expellere, aut in ejusdem superficie deponere aggreditur, nisi ea ipsa obstacula prius, aut saltem simul tollantur. Neque etiam quævis cutis excretio, sudorque, sed ea tantum, quæ ex Natura victrice est, conducit. Sic non admodum rari sunt in principio, progressuque morbi sudores colliquescentes, qui quum adeo non levent, quam potius debilitent, ægrum tandem periment, nisi ars eos cohibendo, aut saltem moderando succurrat.

Præterea materia, quæ morbum facit, fovetque, non est solum miasma, sed omnes noxæ, quas prophasis attulit, & quas miasma actuosum genuit, quæque eodem etiam expulso, depositove agere pergunt. Est videlicet, ubi primis diebus res ægri ad votum procedit; circa quartum vero diem subinde, & prius in

ſurgit difficilis non raro & exitioſa febris, non tam a miaſmate, quod, ut videtur, faventia, mitiaque initia expulerunt, depoſueruntque, quam ex præ exiſtentibus, aut per morbum natis noxis oriunda. Sane plurimos vidimus ægros, qui circa quartum morbi diem, & poſt eundem nullum exhibuerunt ſymptoma, quod hoſpitanti adhuc in corpore, & actuoſo miaſmati jure adſcribi poſſet: ſuccedanea enim febris, ſi ea excipias, quæ ad bubones, carbunculoſque ſpectabant, vix quid a febre vulgari alienum exhibebat. Et facile intelligitur, quod mox innuebam, noxas ex miaſmatis actione, ceu anſa, aut cauſa natas eidem creandæ pares eſſe. Hinc non omnes Peſte infecti ex peſte moriuntur.

Eſt ergo morbi ætas, in qua therapia non âdeo circa virus, quam emendationem noxarum, tum ab eodem, tum a cauſis vulgaribus profectarum occupari debet. Hæ enim ut plurimum, præparari, digeri, coqui poſtulant, at hæc præparatio, digeſtio, coctio non eſt aliquot horarum opus, ſed frequentiſſime plures dies, non ſecus, ac in morbis vulgaribus requirunt. An hinc petechiarum miliarum, quæ levant, origo & cauſa?

Unde jam intelligitur, eos Naturæ pernicioſam vim ſæpiſſime intuliſſe, qui violenter expreſſos, crebros profuſoſque ſudores a naturalibus ſeu juxta, aut ſaltem non contra Naturæ

propenſionem elicitis non diſcriminantes, ab iſtis idem expectabant levamen, & effectum, quod hos dediſſe obſervaverant. Sic cogitantibus perinde erat, qua ratione, quibus remediis, qua morbi ætate, & circumſtantiis, ſudores prolicerent; quin & hos iterare, ſæpiuſque urgere ſolenne habebant. Accedit, quod omnium in ægris conſpicuorum ſymptomatum originem ab uno fere repeterent miaſmate; hinc ceteras cauſas, quæ ſalutares Naturæ conatus impediebant, vel remorabantur, aut minus attendebant, aut plane negligebant.

Ergo haud temere Sydenhamus iſtam miaſmatis peſtiferi exterminationem, apoſtematumque elaborationem fallacem, infidamque appellavit; neque immerito teſtatur, funeſtos eorum exitus, qui hoc modo tractati fuerant, e quibus vix tertius quiſque medicationis, ac morbi periculum evaſerit. Facile enim ex dictis eruitur, remedia valde ſtimulantia parco, ſubinde & nullo temperata vehiculo, qualia præjudicatio induxerat, iis tantum ægris ſaluti eſſe potuiſſe, quorum vires potenter excitari oportuit; queis humores copioſi, meabiles, a viſcoſitate, & tenuitate alieni erant, ſolidaque concitato motui facile cedebant.

Verum ſi contraria diatheſis obtinet; ſi fluida ſolidaque facile orgaſmum concipiant, aut ex morbi progreſſu jam conceperint; nonne adtitius alexipharmacorum ſtimulus humorum

motum nimis augebit, aut jam nimium validius concitabit? Hinc ingens æſtus, cutis ſpaſmo conſtrictæ, & craſſioribus humoribus in ſuis vaſis opplétæ ariditas, ſitis magna, jactationes perpetuæ, deliria ferocia, ſudor aut nullus, aut parcus, & inutilis, ſubinde etiam nimius, proin exſiccans, debilitanſque, ſanguinis acrimonia, diſſolutio, ejusdemque per nares, pulmones, inteſtina, uterum elapſus, diarrhæa, & ſudor colliqueſcens, quem quidem in ægris n. 6. 7. ſi ſudoriferis plus juſto inſiſtimus, multo ocyus expectare oportet, quum in his humores in diſſolutionem magis propendeant, ut conſideranti facile patebit.

Hinc quoque intelliguntur variæ illæ, frequenteſque in melius, & pejus mutationes, irrita Naturæ ad protrudendos tumores molimina, ſubitus lethaliſque horum regreſſus, cohibita carbunculorum inflammatio, eorundem ad ſeparationem jam tendentium, inexſpectata exſiccatio, & plura alia perverſæ medicationis ſæpius forte, quam peſtis effecta. Numquid tam crebra, violentaque ſudorum expreſſione Naturam in tranſverſum agi, & omnia ſuſque, deque miſceri oportuit? An ſub tali medicatione morbi indoles, progreſſus, varius decurſus, remiſſionum, exacerbationumque ſucceſſio, veræ ſymptomatum cauſæ obſervari; an exitus morbi, non dico firmo ratiocinio, ſed aliqua ſaltem veroſimili conjectura prænoſci, & inde recta agendorum

indicatio erui potuerit, haud ægre lector definiet.

Atqui etiam ægris, a diathesi inflammatoria perquam alienis, & quorum vires erigi debent, talis sudorum expressio funesta facile evadit, vel enim humores jam nimis tenues per laxa vasa exiguntur vix resarciendi, vel vires, quas tantum ad debitum moderamen reducere oportuit, ultra modum augentur; & æger in oppositum conjicitur scopulum, id est, in febrem continuam, putridam minus quidem præ vere maligna (a) periculosam: a qua etiamsi æger emerserit, satius tamen fuit plagam non infligi, quam inflictam sanari.

Quæ quidem noxæ magis adhuc elucescent, si consideremus, quod sudores, utut strenue, diu, sæpe, copiose in uno eodemque ægro, proliciti fuerint; nihilominus miasma non sic expulerint, ut bubones & carbunculi non prodierint; manifesto indicio eosdem ei, dum humoribus intritum fuerit, extricando & evehendo per se impares esse. Præterea hæc ipsa depositio, quæ hac ratione impetrabatur, nonnisi irritum erat Naturæ molimen; quod ob virium excessum, defectumve, ob humorum penuriam, tenacitatem, subinde & tenuitatem,

(a) In omni pestis decursu semper quidem malignitas adest; peculiariter vero febrem vere malignam intelligo, quæ cum subita, ingentique virium prostratione adoritur.

acrimoniamve, salutarem exitum assequi nequibat.

Quæ itaque miasma pestiferum salutariter educit, aut simul ejusdem in superficie cutis depositionem cum levamine promovet, & comitatur, cutis excretio; non est sudor, qui Natura refragante exprimitur; multo minus, qui ex virium imbecillitate, humorumque tenuitate sponte, vel arte; sed qui juxta, aut saltem non contra Naturæ ductum prodit, aut elicitur, & qui copiosiorum diapnœn æmulatur, aut saltem non multum excedit.

Tali excretione solutum morbum in multis quidem, in Valacho tamen optimæ ætatis & temperiei tanto attentius observavi, quod ægri pertinax adversus medelam renitentia, notaque morbi fallacia sinistri eventus me non sinerent esse securum. Is adducebatur vigesimo tertio Augusti in nosocomium. Pridie horis matutinis levi horrore, quem frequentes præcesserant pandiculationes, correptus fuerat. Eum mox visitavi, germenque bubonis in inguine dextro inveni. Obscuram cephalalgiam, stuporem temulentum velut si, ut ajebat, hydromel plus satis bibisset, & levem oris amarorem querebatur. Totum corpus copiose perspirabat, ut post moderatum excercitium in sanis evenit. Sitis nulla, & mera anorexia. Pulsus plenus fortis, & sano paululum citatior. Nihil sumpsit præter jusculum cum succo limonum, & aquam

communem: recusavit omne cum aliis ægris consortium sub obtentu, ne ab iis inficeretur. Interdiu in area nosocomii, sanorum more circumambulabat, noctu dormiebat loco quidem aprico at aeri satis pervio.

Quarto ægritudinis die alvum reddidit mollem, biliosam, quæ oris amarorem minuit, non tamen delevit. Bubo attollebatur, perseverabatque diapnœ. Septimo die alvum rursus egessit biliosam, quæ oris amaritiem penitus sustulit, & appetitum restauravit; evanescentibus sponte symptomatum encephali reliquiis, manente, qui ad magnitudinem ovi gallinacei excreverat, bubone, quem obscuro dolore aliquot dies, postea indolentem gessit in tertiam a morbi initio septimanam, quique tandem dissipatus est.

Haud itaque absque ratione Felix Platerus Diapnœn sudoribus manifestis æquiparavit. *Per habitum corporis*, inquit, *manifesta evacuatione per sudores, vel insensibili transpiratione, hujus pestiferæ qualitatis facta evacuatio, vel saltem a corde, seu interioribus ad exteriora, seu centro ad superficiem evocatio, præcipua curationis pars est.* Monet deinde ægros ad sudores per vim, nisi sponte erumpant, haud impellendos esse; *quum sine illis ex usu diaphoreticorum per insensibilem tansspirationem fiat evacuatio.* Sane etiam hæc est miasmatis subtilitati accommoda; id enim quum per venas resorbentes in intimos corporis recessus sese penetret, utique vasorum exhalantium apertura, ei

Lib. 3 cap. 2. de febr. curat.

recipiendo, & cum materia perſpirabili avehendo, capax erit.

Ex duplici vero ſcopo cutis excretionem ſollicitamus. Vel enim adhuc ſpes eſt totum miaſma, & cum eo totam noxam exterminari, proinde ægrum cito, & intra paucas horas in integrum reſtitui poſſe; vel talis ſe offert ægri, & morbi conditio, quæ oſtendit ſanitatem vix alia ratione, quam per depoſitionem febriſque congruam, ſi ſic loqui fas eſt, manuductionem recuperari poſſe.

Prior intentio ſupponit miaſma actuoſum quidem, at adhuc mobile, aut & vagum, nec adeo intricatum; prophaſin, (a) haud multo ægrius, quam ipſum miaſma, ſuperabilem; proinde talem in ægro diſpoſitionem, quæ ſe congruis medicamentis facile moveri ſinat. Æger ergo ſolidorum flexilium, humorum meabilium, blandorum, copioſorum, corporis puri, ſolis,

(a) Plurimi intereſt ſcire, quis rerum non naturalium abuſus Peſti prophaſis extiterit. Inde enim qualitatem, & magnitudinem docemur multorum obſtaculorum, quæ diapnœs reſtitutionem proin, & miaſmatis expulſionem impediunt, aut ſaltem retardant. Sic, qui ex mera refrigeratione ſibi malum conſciſcivit, haud ægre in ſudores movebitur, quos vix mox admittet, qui poſt violenta excercitia morbum contraxit. Prægreſſa enim tenuiorum humorum diſſipatio, reſiduorum inſpiſſatio, horum in aliena vaſa ingreſſus, aut ſaltem crudorum, minuſque meabilium in amiſſi perſpirabilis locum ſucceſſio ſero tantum, & nonniſi operoſe reſtituendam cutis excretionem oſtendunt. Qui claſſem cauſarum procatarcticarum conſiderat, haſque inter ſe confert, plura intelliget.

quæ a miaſmate pendent ſymptomatis tentus, aut ſaltem pertinacis prophaſeos innoxius, horripilationem nullam aut levem dumtaxat paſſus, ſpem non vanam facile ceſſuri miaſmatis, breviſque morbi ingerit Medico, qui ſub faventibus his circumſtantiis accedit. Ergo tunc vel maxime de abigenda tota noxa cogitare, eoque medicationem dirigere fas eſt. Pendet vero a Medici vires in ægro ſuperſtites, ejus temperiem, ſtatum, præſentiumque ſymptomatum indolem conſiderantis prudentia, ea ſeligere & propinare medicamenta, quæ Naturam non tantum in ſtatum, unde excidit, reducant, ſed etiam ad idoneam ſtimulent miaſmati educendo cutis excretionem, quæ humorum aut propinati vehiculi abundantiæ magis, quam concitatiori motui debeatur. Et tunc præ diapnoë morbum citius ſublaturi, neque facile nocituri videntur ſudores. Semper tamen cogitandum, conſiderandumque venit, eos præter naturalem eſſe excretionem, quæ, etiam ex Naturæ propenſione prodiens, nimis profuſa, aut protracta nocere poſſit. Diapnoë vero ſemper eſt bona, & ſudores eam adferre, & in eam deſinere debent, ut proſint. Hinc ſi viribus ad debitum robur evectis æger ex temperato ſudore conveniens, proficuumque experiatur levamen, non video, cur magis exſtimuletur, uberiorque ſollicitetur excretio. Sufficiet ergo, ut præſens promoveatur, ſuſtineaturque eo uſque, dum redierit functionum læ-

ſarum perfecta, conſtanſque integritas. Sic tanto ſecurius & miaſma excernetur, & noxæ fors ab ejus actione febrive comite profectæ, aut a prophaſi advectæ emendabuntur, digerentur, ejicientur. Deinde & hoc lucramur, quod hac methodo depoſitioni, quam fors Natura adfectat, adeo non officiamus, quam potius proficiamus.

Nemo vero mihi litem inde paret, quod peſtis acutiſſimus, pernicioſſimusque morbus, ejusque cauſa ſit nequiſſima; proinde & potentiſſimam requirat medelam, & citiſſimam cauſæ ejectionem, quod & ego lubens admitto. Verum qui traditam hucuſque doctrinam perpendit, haud ægre, credo, perſpiciet ſubſidii, quo natura eget, efficaciam, & promptitudinem in virium reſtitutione, & moderamine magis conſiſtere, quam in acceleratione, & ubertate talis excretionis cutaneæ, quæ, ut mox ajebam, facile noxia evadere poſſit. Numquid ſatius eſt, ægrum uno alterove, aut & pluribus diebus ſerius reconvaleſcere, quam nimia feſtinatione ancipiti ſudorum validorum, profuſorumque aleæ exponi?

Quanto ergo æger ab enarratis ſupra conditionibus magis recedit; quo ab ipſo, aut a morbo plura, nec mox, nec facile removenda proſtant obſtacula; quo prophaſis, aut & morbi progreſſus motu, coctuque difficiliorem ma-

teriam invexerit; quo horripilatio (a) penitius miaſma commoverit, miſcuerit, irretierit; quo calor potentiarum moventium robur magis exceſſerit, tanto quoque anguſtior eſt ſpes, totam noxam ſtatim, & uno quaſi ictu exturbari poſſe.

In hoc itaque rerum ſtatu, præter palmariam indicationem, quæ circa vires ægri erigendas, fulciendas, conſervandas, & circa tollenda verſatur obſtacula, eo ſimul adlaborandum eſt, ut adhuc mobilis miaſmatis portio evacuetur, reliqua commode deponatur; depoſita diluatur, mitigetur, attenuetur, reſolvatur; aut ſaltem in eam, quam apoſtaſis admittit, coctionem, maturationemque perducatur. Hæc autem impetrabunt, quæ ad mitem, lenemque diapnœen requiruntur, conditiones. Vixque tunc medicamentis ſudoriferis alius relinquitur locus, quam quatenus ut diaphoretica, aut & cardiaca conſiderari, & exhiberi queunt. Sudores enim manifeſti progreſſo præſertim morbo, niſi fors ex ægri idioſyncraſia, naturæque invaleſcentis ſpontaneo motu, & cum levamine prodierint, juſtum incutiunt metum, ne bonos ſuc-

(a) Horripilatio, quo gravior, diuturniorque, tanto validius naturam laceſſiri notat. Si calor intercurrit adhuc multo magis, præſertim, ſi qui tandem manet, exiguus fuerit, aut cum languore æſtuoſus. In primo caſu, ubi horripilatio ſoli miaſmatis actioni, aut levi tantum propbaſi debetur, dum congrue eriguntur vires; queunt ſalutares prodire ſudores, in altero caſu, & ægrius prodeunt, & raro non colliqueſcentes ſunt.

cos absumant, ægrum infirment, aut & colliquescentium humorum sint effecta.

In toto igitur morbi decursu ad vires, ad temperiem ægri, ad adjunctas miasmati causas, ad illius & harum effectus omnino attendendum est. Pestis non sine ratione dicitur morbus cordis, ut alibi dixi: proinde omnia, quæ ægro fiunt, ingeruntur, applicantur, certo sensu cardiaca sint oportet: id est, debent seu potentias moventes dirigendo, seu obstacula removendo, aut humorum vitia tollendo, tale impetrare virium moderamen, quale requiritur, ut natura salutarem (exterminatio sit, depositiove, aut particularum coctioni aptarum subactio, immutatioque) scopum assequatur. Sic ergo instituenda, & ducenda est, quocunque morbi tempore cutis excretio, ut humores non inspisset, dissolvat, acresve reddat; solida ultra motum non concitet, debilitetve, & interim semper præsto sit materia excernenda, utpote, quæ miasmati vehiculum subministrare debet. Unde in genere humores viscosi attenuantia, tenues compingentia, obvolventia, corrigentia, virium excessus temperantia, languor excitantia, sicca temperies relaxantia & emollientia, humida frigidaque, stimulantia, sanguinea calidaque, refrigerantia requirunt. Omnia pro ratione morbi, & scopo, quem ex observatione omnium, quæ in ægro fiunt, prudens Medicus sibi proponit assequendum.

Externorum quoque, ſi in ullo morbo, certe in peſte habenda eſt ratio; æger Medico morem gerat, ſeorſum ſub ſudoribus ne prorepat; præſto ſint vaſa, quæ, ſi neceſſitas urget, fœces excipiant. Sit in promptu, quæ ad exactum regimen requiritur ſupellex. Induſium, nec intempeſtive, nec incaute mutetur, id eſt non prius, quam qui per remedia auctus humorum motus conſederit, & cutis excretio ad mitem diapnœn, cujus conſtantia ſperari queat, redierit. Induſium hoc caſu præferunt, plerique, quod ipſe idem homo prius ſanus, aut alter portaverit, nec forte ſine ratione; mulieres enim novi, quæ, dum certis temporibus induſium recens lotum, & ſi bene ſiccum induunt, inde moventur. Talis ergo induſii adhuc tamen mundi, probe calefacti, & fumo grato imprægnati mutatio, ſub adlatis mox conditionibus, haud facile nocitura videtur, imprimis quum noſtra methodus omnem violentiam, & immodicum ſudorem reformidet. Has cautelas ægris noſtris commendare, aut adhibere non oportuit, res enim domi fere omnibus anguſta mutationem non permittebat, & ſi permitteret, metus jacturæ ſupellectilis, quæ ignibus tradi debuit, vetabat. Saltem, ut in gravioribus vix auſcultabant, ita in hac re vix obſequioſos, credo, reperiſſemus.

Remedia ad horas a Medico præſtitutas exhibeantur. Cibatio non certis horis, ſed ægri

exigentiæ alligetur; aeris ægro circumfusi ratio habeatur, mutandi quidem subinde, & ægro debite cooperto. Ministri sint attenti, seduli, indefessi, a dura rusticitate, & a molli indulgentia æque alieni. Verbo jussa Medici ad amussim exequentes.

Quemadmodum vero horum fidelis observatio ad curationis profectum, & successum omnino necessaria est; ita apud plebem rudem, pauperem, egenam, immo & in nosocomiis frequentissime contingit ex eorundem neglectu, aut perversitate omnem Medici sedulitatem, solertiam, operam reddi irritam, ægrosque in optima restitutionis spe constitutos inexpectato morti tradi. Quin immo tales casus non Medici famæ tantum, sed vel maxime vitæ insidias parant. Vix enim, aut ne vix quidem ab homine sui officii studioso eam expectare licet animi constantiam, quæ ob similes casus in impatientiam, iracundiam, mœrorem non erumpat; veneni, quod Medicus semper in se, & secum fert, vulgatissima irritamenta.

Optima itaque pesti medendi methodus, quamdiu specifica deficiet, fore videtur, quæ suas operationes variis, multiplicibusque versatilis morbi phasibus accommodare sataget, & a rerum adjunctis agendorum rationem investigabit, definiet, inibit. Nihil temere agens, nihil invita tentans Minerva, nunquam, ubi agendum est, otiosa. Vitæ viribus ante omnia con-

su-

fulet, erigendo, fulciendo, confervando, dirigendo: virus peftiferum, ceu caufam principem dextro; vulgares caufas, ceu ejus miniftras finiftro intuebitur oculo, & fic plagis ab illo naturæ inflictis medebitur, ut interea harum noxas compefcat, cicuret, amoveat. Quæ contra vitam pro hofte militantia obftacula, eorumque indolem accurate perpendet, eaque pro virili impugnabit, complanabit, evertet. Materiam morbificam ad exitum præparabit, vehiculum fubminiftrando, & vias aperiendo. Quæ opportunam hoftis plane exturbandi nacta occafionem eam mox arripiet, fuaque auxilia fic ducere, & moderari noverit, ut non adeo unquam perniciofas concitent turbas, quin potius femper alteris aggreffibus, fi neceffe fuerint, locum finant, quæ denique hoftem cito, & uno velut ictu tolli poffe prudenter defperans, eum jugi quidem at lenta impugnatione deteret, infirmabit, & ad loca, ubi minus noceat, relegabit, hacque ratione falutem, quam extorquere nefas, aut periculofum erat, fapienti cunctatione impetrare nitetur.

En aliquot aphorifmos medentium memoriæ, ni me mens fallit, non inutiles, & ex dictis fponte fluentes:

1. Via, quo ducit natura, eft verfus cutem.

2. Natura ftimulo peregrino laceffita, eum pro fuis viribus expellere, aut faltem ad loca,

ubi minus noceat, deponere nititur, si primum scopum perfecte assequi nequit.

3. Natura semper expellit, aut deponit miasma, modo vires adsint, & nihil obstet.

4. Quod in bubonibus & carbunculis deponitur, non est totum, quod in corpore fuit miasma, reliqua portio per cutem excernitur.

5. Perfecta miasmatis expulsio per se morbum non relinquit: depositio vero est morbus, & expulsionis perfectæ supplementum.

6. Is humorum motus felicem operatur miasmatis actuosi exterminationem, & depositionem, qui eum æquat, aut saltem non multum excedit, quem in febre continua simplice observare est.

7. Miasma, quando vires notabiliter dejicit, sibi ipsi exitum præcludit. In subita morte, aut nihil, aut valde parum miasmatis expelli, vel deponi videtur.

8. Nimius humorum motus miasmatis exterminationem, & abscessuum maturationem impedit.

9. Miasmati e corpore migranti vehiculo est materia perspirabilis.

10. Miasma felicissime facillimeque expellitur, & deponitur, quando adsunt, aut saltem non ægre restitui queunt conditiones, quæ ad diapnœn requiruntur; vires bonæ, solida debite tensa, humores meabiles.

11. Quo graviora adſunt diapnœs obſtacula, tanto minus expectari poteſt miaſmatis expulſio, & depoſitio.

12. Apoſtemata non increſcunt utiliter, niſi ſimul redeat diapnœ.

13. Ea tantum ſenſibilis evacuatio prodeſt, quæ naturam remote, aut proxime ad diapnœn diſponit.

14. Quidquid ſpaſmos creat, fovetque, diapnoen cohibet, & miaſmatis expulſionem.

Ubi itaque nulla alia, cui prius aut ſimul ſatisfieri debeat, occurrit indicatio, facile ex dictis patet, ea tantum requiri remedia, quæ excretioni cutaneæ, cui in talibus ægris Natura ſæpe per ſe ipſam propenſa eſt, excitandæ & promovendæ ſufficiunt. Aquoſa diluentia leniſſime aromatica, ea copia, quam vires facile ferant, & æquabiliter moveant, ad levaminis conſtantiam uſque continuata omnem ſcopum abſolvunt.

Igitur homo, qui febris continuæ ſimplicis prænuntia, aut eandem præſentem indicantia ſymptomata perſentiſcit, aut jam patitur, viribus adhuc fere integris, domi ſe contineat, ab omni corpus, mentemve fatigante exercitio abſtineat, &, quamdiu agilis eſt, & commode ambulare valet, circumambulet, neutiquam lecto adſtringatur, corpus tamen a frigore muniat. Potet infuſum qnoddam calidum: v. g. Theæ cum ſaccharo, ſucco citri recens expreſſo, cre-

more tartari, oxymelle ſimplici, vel ex foliis rutæ, veronicæ, ſcabioſæ, hederæ terreſtris, ſimilibusque, vel ſimplicibus, vel commiſtis, adjectis iisdem acidis, melle ſyrupisve edulcorantibus ad palati gratiam. Si forte hypochondriorum tenſio, murmur abdominis, aliaque indicia alvi res reſerationem ſuadent, augeatur prudenter cremoris tartari quantitas; ſecus vero refractior ſit. Unius alteriusve infuſi cyathum interpolando repetat, donec cutis madeat, udorem per ſorptiones longiore intervallo ſejunctas ſuſtineat, donec evanuerit, quod primum perſenſit a ſanitate alienum, ſi ſomnus obrepit, dormiat, (a) commode tectus, nequaquam ſtragulis gravetur.

(a) Diemerbroeckius jubet ægros ſub ſudoribus a ſomno arceri; aitque, ſi ante peractum ſecundum ſudorem dormiſſent, adeo debilitatos, & torpidos evigilaſſe, ut colapſæ vires vix unquam ulla arte reſtitui potuerint, & eorum, qui ſomno citius indulſerant, pauciſſimi ſervati fuerint. Crediderim vero tantas noxas a virium per largos ſudores, ex hauſtu, aut violento per valida remedia verſus encephalum motu, indeque nato humorum impactu potius repetendas eſſe, quam a ſomno, qui proin ab alterutra harum cauſarum ortus malum omnino erat ſymptoma. Qui Diemerbroeckii methodum remediaque, quibus utebatur, perpendit, mihi, ſpero, aſſentietur. Quidquid ſit, malæ illæ ſequelæ, quas ex ſomno ſe obſervaſſe ait Author, in noſtra methodo minus metuendæ videntur. Sane a placido, quietoque ſomno ægros noſtros refici, & melius habere ſemper obſervavimus, hinc nemini dormire prohibuimus, neque potuiſſemus, niſi ipſi perpetuo adſtitiſſemus.

Simplicius adhuc foret remedium, si uncia aceti in libra aquæ diluta, & melle syrupove grato, velut rubi idæi edulcorata calide partitis dosibus sumenda exhiberetur. Notandum tamen non omnes ferre acetum; pectus enim exasperat, tussim excitat, & anxietatem in iis potissimum, queis est pulmonis, & nervorum debilior compages, quæ in peste, ut alibi dixi, plurimum lacessitur; unde satius est, in his ab aceto abstinere; aut saltem ejus acredo dilutione, & edulcoratione sic mitigari debet, ut non noceat. Quam cautelam itidem de vino, & succo citri intellectam volo.

Quamdiu vero auctior hæc diapnoe protelari debet, adstantis ægro Medici prudentia a reversa corporis agilitate, mentis serenitate, & omnium functionum integritate haud ægre definiet. Interim, si, quod eluxit levamen, non constans sit, sed serius ccyusve quædam ægritudo rursus incessat, nihil prorsus Naturae committendum, sed medicatio eadem ratione repeti debet. Unde nec inconsultum erit, si reconvalescentes eam servent aliquot dies diætam, quæ facile perspirabilem subministret materiem, ut sic tanto certius, tutiusque veneni, si quae supersunt, dissipentur reliquiæ.

Ut vero hæc diætæ ratio nihil habet, quod peritum moretur Medicum, ita nec in sequentibus ægris. Idem enim victus omnino, ut in febribus vulgaribus requiritur. In genere esto tenuis,

diluens, temperans, putredini adversus, ætati, consuetudini, temperiei ægri, decursui, durationi, statuique morbi, et imprimis scopo, quem intendit Medicus, accommodus. Jus carnium pinguedine orbum haud meracum cum aceto, aut succo citri; decoctum panis, hordei, avenæ dilutum, cui acetosa, oxalis, aut pro re nata, una alterave radicum aperientium incocta sit, panatellæ sufficiunt. Radices dauci hortensis frequenter adhibuimus ad decocta, immo & lentes iis potissimum diebus, queis Valachi, quæ regnum animale subministrat, ex religione respuebant.

Potui eadem hæc serviebant, inprimis decoctum panis, cerevisia mollis ex hordeo & milio, vel serum lactis spontaneum: fiebant & hæc remedia addito vino, aceto, succo citri, aut spiritu vitrioli, prout hoc vel illud circumstantiæ postulabant. Ita in præsenti ægro juscula macra, petroselini, apii, chærophylli lenissimo prægnantia aromate, infusa radicum aperientium pulchre satisfaciunt medicationi, nec repudiantur ab iis, qui ceteroquin pharmaceutica respuunt.

Sic absolvitur ægri, quem pestis sub mitissimæ ægritudinis specie adoritur, medicatio, quæ, ut sponte patet, vires sibi sufficientes supponit, nec eas auget, minuitve; sed tantum liquidum suppeditat, quod humoribus mistum, & circumductum miasma diluat, moveat, educat.

Si quis vero hanc methodum nimis fimplicem & vulgarem exiftimet, quam ut iis arrideat, qui exquifita poftulant, haud difficile erit, fpeciofiorem reddere, præmittendo, vel fimul exhibendo pulveres, electuaria, bolos ex foliis, radicibus, feminibus plantarum leniter aromaticarum: ab acrioribus tamen, & calidioribus, præfertim in ægris calidioris temperiei, abftinendum erit.

Quando autem acceffio, utcunque gravior ægrum jam lecto alligat, febris calorque manifeftior, laffitudo major adfunt; eo enitendum erit, ut dum viribus confulitur, febris calorque temperetur, & inflammationi ulteriori ejusque effectibus obviam eatur, & hac ratione ftimulus peregrinus, fi non eliminetur, faltem ad loca, quæ affectat, ablegetur. Talis ergo æger commode tectus, mente, & corpore quietus, fumat omni bihorio, trihoriove pulvifculum duorum triumve granorum camphoræ (a) faccharo, aut eleofaccharo cuidam, puta corticis citri aut aurantio-

(a) Multum boni a penetrante, ftimulante, nervis amica diaphoretica camphoræ virtute fperare licet; eam laudaverunt in pefte, omnibusque malignis febribus omnes fere Medici, parca quidem dofi eam hic præfcribo, quia vires in his ægris haud multum excitari debent, & ut fuppono, omne, aut faltem proximum abeft inflammationis periculum, fi major effet virium proftratio, nihil vetat, ut vel crebrius detur, aut fingulæ dofes augeantur. Porro grana tria omni bihorio, aut trihorio data in fatis efficacem quantitatem tandem affurgunt.

rum, & aliquot granis nitri antimoniive diaphoretici non abluti intritæ. Flores sulphuris aut myrrham subinde addebamus: istam, quia leviter stimulat, & humorum degenerationi resistit; illos, quia postrema hac virtute pollent, &, ut docet e sumentibus exhalans odor, diapnoen promovet. Superpotet uncias duas tresve infusi calidi foliorum hederæ terrestris, betonicæ, aut melissæ, rutæ pro re nata dilutioris meraciorisve, cui adjectum sit acetum, succus citri, aurantiorumve, mel, saccharum, oxymel syrupive ex acidis succis parati ad palati gratiam; repetat eandem horum liquidorum dosin omni quarta, aut mediæ horæ parte, donec lenis appareat sudor; pulvisculi iteratione & partitis, longioreve mora disjunctis sorbitionibus sustinendus, cujus moram definiet sequens levamen, ubi videlicet pulsus jam ad meliorem rythmum rediit, lassitudo remisit, aut prorsus evanuit, menti rediit serenitas, & oculis vigor, nulla anxietas dolorve, nisi forte ad inguina, sub axillis, aut pone aures adflixerit; ab ulteriore sudorum sollicitatione pedetentim desistendum est; sorbitiones longioribus intervallis sejungendo, & easdem, quas primum dedimus calidas, nunc tepidiusculas exhibendo; sic tamen, ut æger quantum fieri potest in miti servetur diapnoe, quæ humorum massam forte adhuc impraegnantes miasmatis particulas sensim sensimque excernat, simulque materiam digerat, & meabilem reddat, quæ, ut

innuit hujus ægri conditio, febrem adhuc fovet; hæc enim, etiamsi vis veneni deferbuerit, utut omnia bene procedant, ante quartum diem vix solvitur, sed ad septimum plerumque protenditur.

Rarissime vero absunt in ægris peste infectis etiam in levi initio affectiones spasmodicæ & spirituum ataxiæ; quas, etiam si morbus nunquam fere non inferat, ipsa tamen, quam omnes habent de eo idea, discriminis ambiguitas, & magnitudo, mortis metus, & omnium, quæ, ut sani mali periculo eripiantur, facessuntur ægris molestiarum formido, eos mire turbant, anguntque. Sollicita ergo habenda est harum turbarum ratio; quas quidem enarrata remedia, dum vires erigunt, humores diluunt, vasa laxant, diapnoen promovent, demulcere, immo, si leviores fuerint, etiam tollere valent, attamen plerumque efficaciora requiruntur. Unde elucescit necessitas, & usus paregoricorum, & narcoticorum, quæ proin præfatis immisceri, aut interpolari, & ægri morbique statui accommodari debent. Præcipua sunt infusum florum papaveris rhæados, diascordium, laudanum liquidum, & quæ sub electuarii forma prostant in officinis, & opium habent compositiones, inter quas theriaca nobis fuit usitatissima, utpote quam Valachi norant, & inter pharmaceutica omnium minime respuebant; ceterum pulchris usibus idonea est. Dum enim motus inordinatos

opii virtute ſedat, mentem turbatam pacat, ſalutarem periculi oblivionem inducit, ſpaſmos demulcet, & ſopit; aromatum virtute cor moderato ſtimulo incitat, motum humorum auget, & verſus peripheriam ducit.

Neque facile, inprimis in initio morbi, a theriaca conveniente doſi exhibita, nimia ſtimulatio ſequetur: hanc enim juncta vis narcotica retundit, aut ſaltem facit, ut corpus minus illam ſentiat. Deinde & conſiderandum venit, ipſa peſtis initia ſemper, immo & plerumque progreſſus languore, ab alia cauſa, quam in febribus acutis vulgaribus oriundo, ſtipari; unde ceteris paribus majorem ſtimulum ferunt peſte correpti. Tandem illis in ægris, de quibus ſermo eſt, theriacæ, eive æquipollentibus remediis largam, non nimiam tamen, liquidorum antiphlogiſticorum copiam pro re nata ſociabamus; ut hac ratione, qui metuendus forte videbatur, ſtimuli exceſſus præverteretur. Pendet vero a Medici omnes circumſtantias conſiderantis prudentia, determinare, cui ægro cum his cautelis talia calida tuto adminiſtrari, & quibus nocere poſſint.

Quæ quidem methodus ſic expulſioni miaſmatis vacat, ut ejusdem depoſitionem adeo non impediat, ſed potius promoveat; apoſtematum enim peſtilentium geneſin, progreſſum, exitum ſimiles operantur, promovent, abſolvunt conditiones, quas vulgaria poſtulant, ut jam ſupra

innui; quibus præſentibus, aut per remedia obtentis, Natura ſuopte ingenio, quod ſanationi confert, perficiet.

Petechiæ, quas c. 3. miliares appellavi, & deſcripſi, nullam in curatione difficultatem per ſe pariunt, nam in ſatis miti decurſu plerumque apparent, quarto, ſeptimo, nono, ſubinde & ſeriore die, & quidem cum levamine; hinc vix alia remedia poſtulant, quam ipſa febris; videlicet diluentia, leniter aromatica, & ad cutem ducentia, ſedulam tamen merentur. Medici attentionem, ne nimirum regimine, diæta, remediisve nimis calidis violenter urgeantur, aut refrigerantibus intro revocentur; ſic aliquoties vidimus ab audaci, & præpropera auræ captatione ex rubro, quem habebant, colore lividas factas, aut penitus regreſſas eſſe, cum anxietate, & virium notabili decremento. Quo quidem in caſu, dum vires congruis medicamentis erigebantur, non adeo difficulter ſeſe rurſus dabant in conſpectum; ſed & tunc, ſubinde etiam ſine hac prophaſi, moleſta ſequebatur, aut eas ipſas comitabatur ophthalmia; quæ ad revellentia externa rebellis, leni feliciter ceſſit alvi ſubductioni, quam Natura in aliquibus ſuapte ſponte procuravit. Ceterum, ſi hæ Petechiæ viribus morbo attritis apparent, rufeſcunt, aut prorſus liveſcunt, curatio ex dicendis, ubi de lenticularibus agetur, repetenda eſt.

Si ſponte, medelæ neglectu aut perverſitate morbus in eum devenerit ſtatum, in quo humorum motus inſigniter excedat, febris valida, pulſus ad durum accedens, calor magnus, æquabilis tamen, cutis arida, ſitis magna aliaque vergentium indenſitatem phlogiſticam, humorum indicia adfuerint, facile patet, nihil bonæ frugis pro ægri ſalute prius expectari poſſe, quam febris in typum reducta fuerit, qui requiritur, ut miaſma, ſi quod fors humorum maſſam adhuc inficit, excerni deponique, tum reliqua morbi materia digeri, coqui, & ad excretionem præparari queat. Ergo ſolvenda eſt præſens humorum diatheſis per antiphlogiſtica, & reſolventia remedia, nullusque calidis, in his rerum circumſtantiis, locus relinquitur: ſed ſerum lactis, decocta hordei, avenæ, panis, radicum ſcorzoneræ, graminis & ſimilia, ea frequentia & copia, quæ facile moveri queat, e re erunt, queis acida vegetabilia, mel, & qui ex ſuccis acidis parantur, ſyrupi; ſales neutri, inprimis nitrum, aut ſales antimoniati mites addi debent; at refracta ſemper doſi, ne urinam aut alvum juſto plus cieamus, & cutis excretionem, adeo in peſte utilem, alio divertamus. Verum in his potiſſimum ægris fomenta topica ſpongiarum, aut linteaminum aqua reſolvente quodam remedio leviter imprægnata, temperate calida, imbutorum ope, ſub axillis inprimis & ad inguina abs re non fore videntur; hac ſpe,

ut hic ſaltem vaſorum oſcula laxentur, referenturque; diluens liquidum per venas reſorbentes humoribus infundatur, & remediorum, quæ per os aſſumantur, efficacia augeatur.

Multo periculoſior, curatuque difficilior eſt ille peſtis typus, qui inſignem virium proſtrationem cum ardore interno, humorum acrimonia, horumque in diſſolutionem proclivitate conjungit. Ea ergo inter cardiaca ſeligi debent, quæ dum cordi vires addunt, non inflammant, hiſque talia interpolanda, aut admiſcenda ſunt, quæ calorem temperare, acrimoniam domare, diſſolutionemque avertere, aut corrigere valent; folia meliſſæ, rutæ, ſcordii, cortices aurantiorum, & citreorum, radices angelicæ, ſerpentariæ virginianæ, lignum ſaſſafras, vinum, camphora præcipua ſunt, quæ decoctis ſaponaceis ſcorzoneræ, graminis, taraxaci, aut ſero lactis ebutyrati, addita, una cum ſyrupis rubi idæi, ribeſiorum, berberum, myrtillorum, oximelle, acidis vegetabilibus, & pro re nata mineralibus materiam ſubminiſtrant remediis, quorum virtus ad exigentiam morbi accommodata eos effectus promittit, quos propoſitæ indicationes requirunt; ubi tamen itidem cavendum eſt, ut mox monebam, ne frigida, aut tanta copia exhibeantur, ut cutis excretioni officere, & alvum enormiter movere valeant.

Si ob ingentem ſitim æger plus potare avet, quam vires ferant, & hinc metus eſt, ne moles movendorum juſto plus augeatur, juvabit illam

fallere, detentis ore refrigerantibus acidis, quo taleolæ citreorum, aurantiorum saccharo resperfæ, tamarindorum pulpa, pruna acido-dulcia, cerasa, rotulæ ex succo ribesiorum aut berberum, acetum dilutum, aliaque similia spectant.

Neque etiam in his ægris abs re erunt fomenta eorum statui accommodata: nimirum ex aqua aceto remista, aut foliis plantarum antisepticarum, & leniter aromaticarum infusa, aut pro ratione (ut scilicet virtus quoque saponacea quædam habeatur) aliquantisper cocta, tum ut nervi cutanei stimulentur, tum ut liquidum dissolutioni adversum humoribus indatur, dum denique hic saltem loci cutis excretio obtineatur.

Ex his autem facile medicatio ægri eruitur, quem insignis languor, calor acer, fere udus, sitis nulla aut rara tenent. Quum enim deficiens motus, caloris conditio & præter rationem prodiens udor gangrænam minitentur, necesse est, ad curationem potentiæ motrices sic stimulentur, ut ulterior humorum corruptela prævertatur, præsens emendetur. Eadem proin, quæ in priore ægro cardiaca & antiseptica, dosi tamen, frequentia, meracitate, virtute, pro re nata varianda remedia requiruntur. Cortex peruvianus & cascarilla, aliaque post enumeranda hic quoque locum habent. De Petechiis lenticularibus dicetur infra.

Antequam hanc tractationem de peste, quatenus febris inflammatoriæ typum decurrit, ab-

ſolvam, haud abs re erit, ut de venæ ſectione agam, quam plerique Medici in peſte omnino repudiant, nonnulli tanquam unicum ſalutis præſidium laudant; ſapientiores in certis tantum ægris, & morbi circumſtantiis admittunt: certe in ægris, de quibus adhuc agendum ſupereſt, in queis nimirum magna virium proſtratio, ſolidorum inertia, humorum in diſſolutionem propenſio adſunt, vix locum habere poteſt; nam hæc evacuatio vires cordis minuit, vaſa deplet, & debilitat, humores reſolvit, & attenuat, cutiſque excretionem divertit, & per eam excernenda verſus cor revocat, quæ quidem omnia non tantum morbum in illis ægris augere nata ſunt, ſed etiam expulſionis depoſitioniſque ſcopo e diametro adverſantur; unde jam ſatis patet venæ ſectionem haud in omnibus paſſim ægris convenire, etiam in illis, qui integrarum ſunt virium, utpote quarum conſervatio prima eſt, quæ ad ſuperandum morbum requiritur, conditio.

Mulier græca, plethorica octavum graviditatis menſem egreſſa, ternæ in ſuperatis olim graviditatibus aſſueta phlebotomiæ, quam nunc quinto menſe omiſerat, altero, a quo peſte correpta fuerat, die, orto bubone, viribus adhuc bonis, ſic ut facile circumambularet, & probe perſpiraret, ſanguinem ſibi detrahi una cum marito enixiſſime poſtulabat. Nihil non dixi, ut a propoſito abſterrerem. Verum minas preci-

bus ſubjunxit, niſi obſequerer, me mortis reum fore, ſeque nullum aliud a me poſtulare, quam phlebotomiam, auxilium. Satisfactum itaque ægræ deſiderio, & ſanguis effuſus eſt, qui refrigeratus, ut poſt vidi, vix cohærebat. Sui pervicaciter tenax ſenſus nihil, quod ſciam, ſumpſit præter jus carnis, cui pauxillum macis additum erat. Poſtridie mane abortum paſſa, obiit ſub veſperam.

Quem quidem infelicem, licet, ut videbatur, in aliis circumſtantiis indicatæ, & in his non adeo nociture phlebotomiæ ſucceſſum conſiderans, omnino concluſi, quod jam ratio ſuggeſſerat, venæ ſectionem multo rarius in peſte, quam in morbis acutis vulgaribus locum habere; eam tamen ſubinde indicari non inficior, utut nos etiam, ubi ægros ætatis floridæ, temperiei, ſanguineæ, bonarum virium nanciſcebamur, ab ea abſtinuerimus; ſed potius medicamentis temperantibus, diluentibus, reſolventibus febrem moderari, viſcoſitatem ſanguinis, ſi quæ aderat, ſolvere, aut ſi metueretur, prævertere adnitebamur, neque unquam neglectæ nos pœnituit phlebotomiæ.

Neque, credo, quis eo cenſu eam in peſte laudabit, quod ejus ope Natura aliqua ſaltem miaſmatis portione levari queat; nam docent ipſa peſtis ſymptomata, & curatio, miaſma vix ſanguinem, ſed potius multo ſubtiliora corporis huma-

humani liquida inficere (a), immo vim ſuam potiſſimum in ſolida exerere. Si quis nihilominus contendat, & ſanguinem infici, exigua certe erit, quæ detracti ſanguinis copiæ reſpondet miaſmatis portio, quam Natura æque facile evacuare valebit, quam quæ in corpore remanet. Ergo venæſectio ſub hac conſideratione omnino inutilis eſt, etiamſi ab ea nullæ noxæ metuendæ forent.

Interim quum ut in morbis ceteris, ita & peſte nihil perpetuum ſit, ſi in quodam ægro tanta reperiretur plethora, quæ vires ſupprimeret, vaſa perſpirabilia juſto craſſioribus humoribus oppleret, naturamque materiæ perſpirabili ad peripheriam promovendæ, & una cum miaſmate educendæ imparem redderet, ſi ſimul pulſus plenus, tenſus, fortis, dolor capitis acutus, calor idem, aut etiam major, quam qui in ſano fuit, & reliqua veræ plethoræ adeſſent indicia, ſi peſtis ſub larva veræ pleuritidis, anginæ, peripneumoniæ ingrueret, vel denique, ſi in ſuo progreſſu in febrem vere inflammato-

(a) Oſtendi c. 2. miaſma peſtiferum ſeſe in corpus inſinuare; & ex eodem cum materia perſpirabili innoxie educi in illis hominibus, qui ſani inter infectos verſantur; hoc ſenſu ſanguinem infici lubens admitto. Verum tunc iners omnino eſt, nullumque prius exhibet ſui indicium, quam nervos ſeu ſolida lædat; quin immo in ipſo ſuæ actionis principio nulla obſervatur fluidorum depravatio, quæ eidem jure adſcribi poſſit, & quæ poſt naſcitur, aut a ſolidorum atonia, aut ab aliis cauſis pendere videtur.

riam cum pulſu forti, duro, calore magno, æſtuoſo, cute arida, reſpiratione difficili degeneraret, venæſectio omnino indicari, & ſine piaculo vix negligi poſſe videtur; verum hi caſus perquam rari ſunt, ſaltem vix unus alterve nobis obtigit æger, in quo a miſſione ſanguinis verum ſperare licuerit emolumentum, & ex decem circiter ægris, quorum ego unus fui, quos febre ardentis æmula correptos vidimus, unus tantum occubuit, ceteri omnes ex graviſſimo ad nonum, undecimum, & decimum quartum diem protracto morbo convaluerunt.

Altera, quæ venæſectionem ſuadet, ratio petitur a periculoſo ſtatu, in quem ſanguineorum, plethoricorumque plurimi ſerius ocyusve labuntur ex inertiore, quem morbus inducit, ſanguinis ex ſeſe fervidi ſæpe & acris motu. Tunc enim difficillimum eſt arti, languori ſimul ſuccurrere, & calorem temperare. Videtur ergo præoccupandis caloribus, & remediorum ſtimulantium noxis ex æquo profutura ſanguinis abundantiæ tempeſtiva imminutio, cui proin inſtituendæ optimam offerunt prima morbi initia occaſionem, quando nimirum vires adhuc vigent, & quæ his evacuatio adferre valet detrimenta, per idoneam medelam reſarciri poſſe ſpes eſt. Sane magni nominis & peritiæ Medici in plethoricis & ſanguineis laudarunt phlebotomiam, quæ proin ex adlata ratione multo frequentius, quam ob virium exceſſum locum haberet, ſi Medicus

temporius, quam quidem nobis obtigit, advocaretur, & ægros eam admittentes inveniret.

Phlebotomiæ in peſte fautores, inter hos Sydenhamus, eam tumore conſpicuo tentare non ſuſtinuerunt; nec ut videtur ſine ratione: ſalutare enim naturæ vinçentis molimen pervertere metuebant. Si tamen febris & cetera ſymptomata vires ſic excedere docerent, ut natura inde in ſuo opere impediretur, omnino etiam venam ſecari oporteret, imprimis, ſi antiphlogiſtica remedia nihil profuerint, aut malum tantum fuerit, ut ab eorum uſu mitigari poſſe prudenter deſperetur.

Quantam vero ſanguinis copiam mitti conveniat, Medicus ex circumſtantiis ægri, & morbi definire debet. Conſervatio virium mediocrem potius, quam largam ſuadet, concidens ſanguine fluente pulſus, venam mox claudi jubet. Si una expectato ſe non probet effectu, repeti poteſt.

Si inconſulto, aut invito Medico venæſectio præpoſtere celebrata fuerit, ut ſuo tempore factitatum acerbe luget Diemerbroeckius, natæ inde, aut auctæ imbecillitati quantocyus per idonea remedia ſuccurrendum erit.

Ingens ſubitaque virium proſtratio, & quam hæc minitatur, & ſat cito infert humorum diſſolutio ſequentes ægros a præfatis diſtinguit; ubi videlicet ipſa vitæ arx valide oppugnatur, & præceps corruit, niſi cito potentique auxilio

ſuppetiæ ferantur. Ergo virium labaſcentium erectio, earumque in ſtatum, unde exciderunt, reſtitutio, metuendæ humorum corruptelæ præſervatio, aut jam inſientis emendatio; tandem redintegrati, in ſolidorum robore, fluidorum conſiſtentia, horumque motu juſti moderaminis conſervatio: ita nimirum, ut cum Sydenhamo loquar, ut ſanguinis commotio nec hinc plus gliſcat, unde periculoſa ſymptomata inſequantur, nec illinc nimium torpeat, quo pacto materiæ morbificæ protruſio impediatur, ſunt potiſſimæ, quæ in his ægris explendæ veniunt indicationes.

Ea itaque medicamenta, quæ excitante, ſtimulante, calefaciente, aromatica, antiſeptica roborante virtute pollent, his ægris, non quidem eadem indiſcriminatim omnibus, ſed pro vario virium reſiduarum gradu, aliiſque in hoc & illo reperiendis morbi conditionibus apprime conveniunt.

Talibus vero abundamus. E ſimplicibus quidem folia ſcordii, rutæ, meliſſæ, menthæ, majoranæ, ſalviæ, cortices citri, aurantii, ſaſſafras, cinnamomi, macis, radices angelicæ, imperatoriæ, petaſitidis, pimpinellæ, enulæ, acori, zedoariæ, contrajervæ, ſerpentariæ virginianæ præcipua ſunt. In uſum quoque veniunt camphora, moſchus, ambra griſea, quæ pro ea, qua pollent volatilitate, & energia in intima animalitatis penetralia ſeſe inſinuare, nervos

mire at potenter afficere, iisdem ſtimulos addere, torporemque, quem vis miaſmatis induxit, diſcutere valent.

Huc quoque pertinent, quæ ars ſimplicior præparat: acetum, vinum, aquæ ſtillatitiæ, ſpiritus vini, & ex vegetabilibus mox enarratis, aut ſimilibus producti, ſpiritus alii valde penetrabiles: ſuccini, cornu cervi, ſalis ammoniaci, tum acida mineralia, ut ut virtute diverſa, at hic quoque utilia.

De alexipharmacis officinalibus compoſitis, aquis, ſpiritibus, tincturis, eſſentiis, electuariis, pulveribus, quid dicam? Multa ſuam laudem habent, nonnulla inepte congeſta, aliqua non rite parata, alia fere inertia, quædam nimis pretioſa, nec ideo ſimplicibus efficaciora ſunt. Pauciſſimis certe, immo vix ullo, ſi theriacam excipias, uſi ſumus, ſimplicioribus omnino confiſi, quæ utinam plebs accepiſſet, & ad præſcriptum uſurpaſſet!

Petierunt nonnulli (a), quid medicamenti ſuaderemus, ſi forte eos peſte corripi continge-

(a) Quidam Græci, ſuburbii Coronenſis incolæ, queis res domi præ vulgaribus amplior eſt, opobalſamo, quod ipſi, dum ex religione Jeroſolymam peregrinantur, ex Judæa referunt, aut ſaltem Conſtantinopoli accerſunt, ut in omnibus fere morbis plurimum deferunt, ſic graſſante peſte ad illud mox confugiebant, ubi aliquem a ſanitate receſſum animadvertebant. Aliquot guttas, ſaccharo exceptas aſſumebant, & duos tresve cyathos theæ Moſcovi-

ret, commendavimus drachmæ pondere, theriacam, cui jus carnium cum ſucco citri, aut infuſum quoddam calidum, aut & ſerum lactis cum aceto ſuperpotarent, corpore ad ſudores compoſito; retulerunt unus & alter ſe magna laſſitudine, torpore, membrorum confractione, temulenta, gravante, cephalalgia, vertigine, anxietate, & præcordiorum anguſtia, horrore, nauſea correptos medicamen uſurpaſſe, ſeque ſudore oborto, & morbi, & mortis periculo

---

viticæ (ſic dictæ, quia ex Japonia per hoc imperium huc adfertur) ſuperpotabant, cubitum ituri. Mane ſudore adhuc perfuſi evigilabant, prorſus ſani, aut faltem inſigniter levati; quo quidem ultimo in caſu remedium iterabant. Sic nonnulli ſeſe a peſte vindicarunt. Ut ut vero quosdam habuerim, ſæva peſte correptos, qui, opobalſamo uſi fuerant, & aliqui mortem oppetierint, hinc ſpecificam contra hunc morbum virtutem non habere ſponte pateat; negari tamen nequit multum boni ab ejus prudenti uſu expectari, & præſtari poſſe; volatili enim, aromatico, nervis amico, penetranteque, imprimis ubi recens & ſincerum eſt, pollet ſpiritu, quem revincit, temperatque oleum leni acore, & quadam amaritie, haud ingrata, præditum. Eſt itaque excitans, antiſepticum, demulcens remedium, quod proin in multis ægris peſte infectis, & in plurimis caſibus omnino adhiberi poteſt, præſertim, ſi per alia remedia ejus virtus ſingularibus indicationibus accommodetur. Sic etiam in febre illa, quæ inſignem ardorem cum virium proſtratione conjungit, pro cardiaco convenit, vix enim inflammat. Similiter in initio morbi ſub ſumma virium proſtratione, corpore puro, ſaccharo ſolutum, & infuſo cuidam aromatico, vinoſove indictum præbet cardiacum inſigne. Cavendum tamen a frequentiore uſu, nam facile caput petit.

intra paucas horas ereptos fuiſſe. Eadem fere ratione Diemerbroeckius ſe ſibi conſuluiſſe narrat.

Sicuti vero hæc medicatio in corporibus puris, in quibus nimirum præter virus, aut ejus effecta nullus obſervatur notabilis a ſanitate receſſus, in ipſo uſurpata morbi inceſſu felicem nanciſcitur ſucceſſum, ita haud abſimili ratione tractandi ſunt, quos paulo quidem protractior morbus, at ſine inſigniori virium decremento tenet, niſi aliud ſymptoma urgeat, quod prius tollendum ſit.

Theriaca itaque, aliaque, quæ opium ingreditur, ſtimulantia, illis imprimis conveniunt, quos peſtis mortisque metus conturbat, magna circa præcordia anxietas, aliæque ſyſtematis nervoſi ataxiæ, ut nauſea, vomitus, ſine alia manifeſta cauſa vexant, viribus interim non adeo dejectis.

Siquidem vero turbæ abfuerint, aut jam omnino ſopitæ fuerint, vires interim ad optabilem nondum redierint ſtatum, ſupereſt, ut infuſis aromaticis excitantibus eas augeamus; ita cereviſia tenuis, Valachis uſitata, cui macis, aut cinnamomum incocta forent, addito ſubinde aceto, infuſum ſalviæ, ſerum lactis vinoſum nobis in uſu erant; julapia ex aquis deſtillatis, ſpiritibus, elœoſaccharis idem præſtant.

Valde languidis, vigilibus, moroſis, ſtupidis, torpidisque, pulſu interim fere naturali,

inprimis convenit inter alia vinum, ſero lactis, aut infuſo ſtimulante remixtum.

Temulentos vero, & in ſomnum admodum proclives, itidem languidos, pulſu debili excitat acetum. Nec facile ab aceti acrimonia læduntur, quia non adeo ſenſibiles ſunt, theriaca in ultimis hisce, & in mox nominatis minus conveniret, ut ſponte patet.

Si jam inde ab invaſione, aut poſtea virium languori jungebatur proclivitas in ſudores, & ſine levamine prorumpebant; vinum ſalviatum, aut ſaturatius ſalviæ infuſum addito ſpiritu vini, plerumque etiam ſpiritu vitrioli, tum vires excitandi, tum minitanti humorum diſſolutioni occurrendi ſcopo exhibebamus.

Ubi invaſionis præceps violentia, ingens languor, pulſus imbecillitas, calor naturali minor, frigoris recurrentis in externis ſenſus, aliaque indicia petechias lenticulares mature erupturas portendebant; eadem hæc uſui erant, ſi vinum minus conveniebat infuſa ex ſupra recenſitis herbis, & radicibus meraciora, adjecto ſulphuris, aut hoc potentiori ſpiritu vitrioli ſubſtituebamus. Macis & cinnamomum cereviſiæ, aut ſero lactis fervide infuſa, & ad aliquot horæ minuta digeſta, apud eos præſertim, qui nonniſi domeſtica ſumebant, in uſu erant.

Petechias, de quibus hic ſermo eſt, lenticulares appellavi, quia lentis diametrum plerumque æquant; vidi tamen non raro, quæ pi-

sum majus latitudine superabant, nullam inflammationis notam in duritie aut tumore præseferunt; sed cuti omnino æquabiles semper observavi. Quando remediis adhuc auscultant, intra sat brevem moram lætiorem induunt colorem, & si forte æger reconvalescat, sine exulceratione pedetentim evanescunt. Videntur ergo esse effusiones (a) sanguinis dissoluti, quem vasorum fines fors per acrimoniam erosi, aut suo elatere destituti continere amplius nequeant; mirum profecto est, intra unum aut alterum diem, quin, ut historiæ testantur, adhuc ocyus in homine sano tantam, & tam velocem nasci posse corruptelam.

Contra tantum malum infirmas habet ars in sua potestate, quas succumbenti naturæ ferat, suppetias. Etsi enim cor energeticis remediis sese fors adhuc excitari & stimulari sinat, ægre tamen vasis suus restituitur tonus; multo diffi-

(a) Diemerbroeckius Hist. 32. narrat, se Autopta, Chirurgum in femore militis peste extincti petechiarum progressum incisione facta inquisivisse, & invenisse: *maculas illas ab ipso periostio initium ducere, & latiore basi pyramidis instar, per medios musculos recta sursum usque ad cutem ascendere, atque ibi in conum terminari. Chirurgus,* pergit idem Author, *hac experientia nondum contentus, in brachio supra cubitum, alia facta incisione, idem illud adhuc semel inquisivit: ubi invenimus basim duorum exanthematum (quorum progressum quærebamus) adeo profunde sitam non esse, neque ad periostium usque pertingere, sed a duro tendine cujusdam musculi initium sumere.*

cilius humoribus debita cohæsio aut blandities, saltem vix ita & tam cito, ut vita constanter reverti queat. Hinc intelligitur, qui sæpe fiat, ut optima remedia nonnisi labile levamen, & aliquantulam mortis remoram impetrent. Neque ideo ægros his petechiis adflictos suo fato relinquendos esse censeo; sed in extremo malo extrema remedia tentanda sunt.

Interim auxilia, quæ ad petechias habemus, sunt fere ægris hujus classis communia. Medici est ea viribus in ægro residuis accommodare. Camphora (a) saccharo purissimo, & spiritu vini rectificato trita & soluta, acetoque destillato admista potenter stimulat; poterit, si opus videtur, ut nos plerumque solebamus, hujus misturæ acor syrupo quodam cardiaco, scordii, cinnamomi, contrajervæ, aut serpentariæ virginianæ temperari, & ita cochleatim exhiberi. Ejus usu vidimus non raro vires insurgere, & petechias lætiorem induere colorem; immo unus & alter, quando nempe natum levamen sustineri, & ad votum augeri potuit, ex ipsis orci faucibus erepti sunt. Quæ adhuc agenda restant, aut tentari queunt, mox sequuntur.

(a) Sic camphoram in mistura exhibere solebamus nondum gnari, eam mucilagini gummi arabici diu intritam aquæ miscibilem reddi, hinc nec fauces, ut cæterum assolet, moleste afficere; quod quidem incommodum in ægris his, utpote non adeo sensibilibus, haud tanti erat.

Tandem præceps, penetrans, efficax auxilium, vel maxime poſtulant ii ægri, qui ex temulento ſtupore titubant, queis caput vertigine rotatur, horrores ſine calore recurrunt, oculi mœrent, lingua ceſpitat, pulſus exilis, vacuum fere refert, verbo ſummus languor, & apoplexiæ ineuntis ſymptomata tenent. Eo nimirum medentis conatus tendere debent, ut ſolidorum atonia, & quæ inde pendet humorum inertia vincatur, in illis elaſticitas, & vis, in his motus reſtauretur.

Quo quidem ſcopo inter illa, quæ ſuper recenſita ſunt, ea omnino eligi debent, quæ ſuam vim ſubito exſerunt, nervos movent, irritant, vellicant.

Quæ quidem ſatis meraca exhibere oportet. Aquoſa enim juſto copioſiora eorum efficaciam nimis enervarent, & ſolidorum inertiam, humorumque diſſolutionem augerent.

Imprimis itaque conveniunt, quæ ſub minore mole reſtaurandi, ſtimulandique virtute pollent. Spiritus alcalini volatiles, imprimis, qui oleis penetrantibus ſtillatitiis irretiti ſunt, velut ſal volatile oleoſum, ſpiritus ſalis ammoniaci ſuccinatus, aniſatus, camphora, moſchus, ambra griſea, aquæ ſpirituoſæ officinarum, aceta theriacalia, tandem & plantarum aromaticarum, ut ſcordii, caryophyllorum, cinnamomi, ſyrupi, qui, ut ſupra jam aiebam, pro quadam mitificatione ceteris remediis, ſiquidem

nimis acria existimentur, addi possunt. Paucos quidem hujus ordinis nacti sumus ægros: nobis enim insciis moriebantur; secuta tamen in iis, quos habuimus, licet non semper, constans emendatio, & unius, alteriusque, qui fere desperati habebantur, ad virium constantiam, & tandem ad sanitatem reditus hanc therapiam satis confirmarunt.

Sed & externe agendo, internorum remediorum vim adjuvare valemus. Frictiones panno laneo aromatum fumo penetrato, aut aceto, spirituosisve imbuto prudenter institutæ multum boni pollicentur: fibras enim commovent, agitant, irritant, vellicant; liquidi nervei excretionem sollicitant; humores fere stagnantes versus cor derivant, idque in celeriores contractiones provocant; sed & stimulantia, venarum resorbentium osculis sic applicata, suam virtutem corpori infundunt.

Vesicatoria non in his tantum, sed in omnibus, quos vis vitæ deserit, itidem locum habent. Vesica liquido distendente turgida, magna, cutis subjectæ rubor, & dolor, humorum copiam, & vim vitæ adhuc bonam denotant, vesicæ absentia vel exilitas, cutis subjectæ nigredo, vel humorum penuriam, vel vim vitæ deficientem, vel utrumque designant.

Igitur apud ægros siccæ temperiei de subministratione liquidi sufficientis, non gravantis tamen, cogitandum est, ut, quod a vesicatoriis

ſperamus emolumentum, tanto certius impetremus. Sed & ſic ſimul ſtranguriæ, & urinæ ſuppreſſioni, quam veſicatoria ſubinde excitant, obviam imus, quæ quidem mala in ægris, de quibus ſermo eſt, niſi forte, poſtquam vires reſurrexerint, minus metuenda videntur, quam in illis, qui bonarum ſunt virium, at in his, ut jam dixi, veſicatoria haud conferunt; interim refert clariſſimus Geoffroi ex Gronvelt celebri Medico, camphoram ſtranguriæ ex cantharidum uſu metuendæ obviam ire. Quæ tamen, ſi adeſſet, liquida copioſiora morbo, & ægro ejusque viribus commenſurata, malum tollent.

Jam vero, ſi internis, externisque auxiliis evaneſcentem vitam ſtitimus, & ad vigorem ſano propinquum revocavimus, æger in eo fere ſtatu conſiderari debet, velut ſi peſte ſub febris continuæ ſimplicis ſpecie prehenſus eſſet, habita tamen ratione prægreſſi languoris, & ſecutæ in humoribus diſſolutionis. Certe diluentia aquoſa, quæ illi conducunt, hunc nimis debilitarent, & humores in diſſolutionem vergentes, aut jam forte nimium tenues magis ſolverent; e contra, ſi volatilibus alcalinis, aliisve calefacientibus, & ſtimulantibus juſto plus, & diutius, quam debitum virium æquilibrium poſtulat, inſiſteremus; ægrorum in adverſum ſcopulum, id eſt, in illam malorum catervam conjiceremus, quam nimius motus circulatorius poſt ſe trahit.

Reliqua igitur, quam ægri, queis vires ad debitum, cujus constantiam sperare liceat, typum rediere, in diæta analeptica potissimum consistit; hujus vero modum & auxilia conditiones, quæ ægro ad perfectam sanitatem adhuc desunt, & relicta forte morbi effecta facile suggerent perito. Eadem enim in peste functis occurrunt, quæ post morbos vulgares acutos observari solent.

Neque est, quod restauratis viribus circa miasma solliciti simus; id enim natura victrix diapnœn simul reducendo exterminavit, aut saltem deposuit. Quin immo observatio nos docuit, præcipitem, velocemque morbum eluctatos in integrum restitui solere multo ocyus febrem putridam emensis. His enim æquo fere marte valide, & diu cum morbo dimicandum fuit, proin solida, fluidaque grave damnum pati oportuit. In illis vero violentum quidem, at brevem, vita passa est insultum, quem quum superaverit, quæ fors interim natæ sunt in humoribus, noxas haud ægre emendare valet.

Superest, ut pauca de cortice peruviano subdam. Ejus virtutem in peste explorare, & repetitis experimentis confirmare nobis nec animus defuit, nec voluntas. Verum turbata, & innumeris insuperabilibusque obstaculis objecta praxis nostra hoc fere omnes, ut ignota generatim respuebant, ita ii, queis forte furtim cortex semel porrectus fuerat, dosium sequentium

quomodocumque demum minutum, tectumve amarorem superare pertinaciter renuerunt. Praeterea refrigerationes ex desidendi necessitate, tegumentorum penuria, caloris impatientia, aliique in regimine, nec praevidendi, multo minus praecavendi errores, ministrorum incuria, & ruditas, eorundem in exhibendis noxiis, puta aqua frigida, & spirituosis, infausta indulgentia, subinde & inhumana erga aegros durities, aliaque epigenomena corpus, mentemque aegrorum sic mutabant quam frequentissime, ut feliciter incepta saepe medicatio nec constantiam lucrari, nec nostros conatus stabilire valuerit. Militi, cuius C. 3. jam memini, ingentem carbunculum, qui totum hypogastrium occupabat, nacto, febreque sat valida functo, & inde debilitato porreximus una cum cardiacis convenientibus corticem peruvianum, ut metuendam gangraenam praeverteremus, & vivi a mortuo separationem promoveremus felici quidem successu, attamen vix ocyore, quam in aliis aegris, qui carbunculos insignis itidem magnitudinis gessere, & sine corticis auxilio reconvaluere. Unde omnino constare nobis non potuit, an in separanda carbunculorum eschara tanti valeat cortex peruvianus, ut in gangraena aliis morbis superveniente.

Puella a mente aliena, petechiis nigris deturpata, alvo foetida proruente imbecilla sumpsit tres dies infusum corticis, cui congrua cardiaca, inter cetera moderandae alvi scopo, theriaca,

addebantur, aut interpolabantur felici cum succeſſu. Ita & puer, in quo petechiæ nigræ jam altero morbi die apparuerant, ſimiliter tractatus, dempta tamen theriaca, mortem evaſit. In aliis ægris potiſſimum deliris cortex eadem ratione exhibitus levamen attulit quidem, at non conſtans, ſive ob unum plurave ex prædictis interlapſa epigenomena, ſive ob mali pertinaciam.

Quæ quidem tentamina, utut non ſatis confirmata, ſaltem evincere videntur, corticem peruvianum in curatione peſtis tutum eſſe. Celeberrimus Geoffroi refert ex Sebaſtiano Badio Medico Genevenſi Academiam Neapolitanam judicaſſe, corticem peruvianum contra peſtem optimum eſſe remedium, juſſiſſeque, ut traheretur in uſum, de ſucceſſu alte ſilet. Profecto nota in cortice nervis amica, roboransque virtus, & in gangræna efficacia, ut nobis animum probandi addiderant, ſic poſteros, ſiquidem obſequioſiores, commodiusque habentes nanciſcantur ægros, ad ulteriora excitare debent experimenta. Accedit, quod celebres Medici haud vanis ſuffulti rationibus contendant, corticis peruviani vim in reſtauratione toni nervorum, & minutæ, amiſſæve diapnœs redintegratione ſitam eſſe, quæ opinio, ſi vera eſt, nemo non videt, ab eo multum boni in peſte expectari poſſe. Ante omnia vero periclitandum foret, num cortex peruvianus aliquid ſingulare, & a remediis notis non expectandum, contra miaſ-

miasma pestiferum præstet, nec ne. Capiendo autem experimento maxime idonei videntur esse ægri, quorum vires in moderato adhuc sunt statu, id est, nec in insigni excessu, nec in gravi defectu; his enim tuto, ut arbitror, posset exhiberi cortex, sine ullius additamento remedii, quod ceterum ejus virtutem alteraret, aut saltem alterationis suspicionem moveret.

Ubi autem jam adest, aut metuenda est phlogistica humorum densitas, cortex minus convenire videtur, minori tamen cum periculo etiam tunc exhiberetur, quam stimulantia, multo validiora, quæ olim in usu fuere.

In ægris vero numero sexto & septimo minus stimulat, quam ut soli confidere possimus. Hinc cardiacis stimulantibus admisceri, aut interpolari debet. Si vero stimulantium cessaverit finis, nullam video rationem, quæ ejus usu roborandi scopo, interdicat. Nonnunquam evenit inceptam escharæ carbuncularis separationem, subinde quoque bubonis suppurationem ex humorum vitio, & ex solidorum inertia bonum non lucrari profectum: atqui quum hujus corticis gangrænam sistendi, gangrænosumque separandi virtutem multa nostrorum temporum probaverint experimenta, jam inde non vanam spem concipere licet in similibus rerum circumstantiis apud pestiferos eodem ipsum se distincturum effectu. Cortex cascarillæ, qui ad dotes peruviani ceterum accedere videtur, hunc aro-

mate & ſtimulante virtute vincit; ubi itaque hæc requiritur, quid præſtare valeat tuto, credo, tentari poterit; præprimis quum & hunc non infimæ notæ Medici, ad morbos petechiales feliciter uſurpaſſe legantur. Vide Geoffroi mat. Med. Cap. de corticibus exoticis.

Tradita hucuſque doctrina circa vires cordis, debitumque humorum per vaſa libera motum potiſſimum verſatur. Verum talia nonnunquam occurrunt obſtacula, quæ naturæ etiam ſibi ſufficientis ſalutare molimen reddunt irritum; quorum proin remotio ſingularem conſtituit indicationem, tanto quidem conſideratu digniorem, quod ea neglecta, ne medicamentis quidem, exterminando miaſmati, aut ejuſdem depoſitioni elaborandæ aptiſſimis, quidquam proficies, quin quo plus inſtiteris, eo magis ægrum lædes.

Nauſea, vomitus, diarrhœa, præcordiorum anxietas, ſyncope, cardiæ ardor, delirium, & hæmorrhagia maxime obvia ſunt, & ſingularem poſtulant attentionem.

Saburra in ventriculo deliteſcens, ut in ceteris morbis, ſic in peſte nauſeæ, vomituſque cauſa eſſe frequenter reperitur. Huc ſpectat, & copioſior, ſpiſſior, acriorque regurgitans bilis æſtate, & autumno maxime obſervabilis. Hujus ſaburræ, ſive ab ingeſtis ſit, ſive a bile, aut ab utroque præſentiam indicant prægreſſa in cibo, potuve intemperantia, ingeſtorum

ſurſum aſſurgens nidor, ponderis in ventriculo ſenſus, limoſa, ut ægri loqui amant, oris ſordities, inſignis oris amarities, ſitis, & irrequies. Natura talem ſaburram nonnunquam, præſertim ubi vires bonæ adhuc ſunt, ſuapte ſponte per vomitum excutit, non raro tamen ſive ob imbecillitatem, ſive ob materiæ tenacitatem ſui muneris obliviſcitur, unde omnino per emetica ſollicitanda eſt. Potentioribus vero tanto minus locus relinquitur, tum quod natura jam in hanc evacuationem propendeat, tum vel maxime, quia turbis nervoſi ſyſtematis, quod jam a miaſmate patitur, quantum fieri poteſt, parcendum ſit. Irritatio gulæ mechanica; aqua tepida cum butyro inſulſo, oleo, melle, oxymel ſcylliticum, radix ypecacuanhæ fere ſola ſunt, quæ tuto adhiberi poſſunt.

Excuſſa per vomitum materia, turbæ inde natæ narcoticis compeſci, & ſedari debent. His quoque vincitur, quæ, vix non ſemper adhuc ſupereſt, in vomitum propenſio; quæ quidem etiam in illis obſervatur, qui nullum ſecum ferunt craſſioris materiei ventriculum infeſtantis indicium. Sola enim a diapnœ, a ſuis cauſis, forte, & a miaſmate actuoſo, inducta nauſeæ, quin & vomitus ſufficiens cauſa eſt.

Adiapnœ plerumque jungitur, & malum auget ſpirituum ataxia a terrore periculi, mortisque metu orta, plerumque cum anxietate, oris ſiccitate, & aliquali amaritie, quæ nullis cedit emeticis,

Sic multiplex nos docuit experientia non ita quidem, ut multi exiſtimarunt emeſin in peſte prodeſſe, ſed potius abſente craſſa materia, ſemper nocere. Hinc in recenſitis mox circumſtantiis diluentibus, demulcentibus, grate acidis, calide potis, malas cardiæ affectiones, primum ſuperare conabamur; quibus ſi non cederent, narcotica iisdem admiſcebamus, aut interpolabamus. Sequebatur cutis lenis mador, dein & ſudor, qui nauſeæ, vomituritionique finem imponebat. Unde eo in caſu, quo ſaburra haud manifeſtiora, quam quæ ab adiapnœ, ſpirituumque ataxia oriri ſolent, ſui exhibebat indicia; diluentium, utpote quæ & ipſam ſaburram, ſi fors adſit, ſolvere, mobilemque reddere valent, maluimus ante experiri efficaciam, quam ægrum intempeſtive emeſeos periculo exponere, & tunc narcoticis vix locum dabamus; attenti num natura fors nihil moveret, malique conditionem per evidentiora ſigna declararet; ac tum demum, ubi ex levamine non ſecuto, ex nauſeæ ſymptomatumque pertinacia, augmentove rebellem, craſſamque materiem ſubeſſe colligere licuit, hanc per emetica excutiebamus.

Cœlebs quædam quadraginta circiter annorum, mox in principio anorexia, nauſea, levique circa præcordia anxietate vexabatur; nullaque aderant alia indicia, quæ emeſeos excitandæ neceſſitatem ſuaderent; videbanturque hæc mala diluentibus, & demulcentibus ſupe-

rari posse. Verum his ægra magis magisque angebatur, jamque vigiliæ perpetuæ, delirium, & insignis præcordiorum dolor aderant. Tertio morbi die porrigebatur theriaca andromachi larga satis dosi cum decocto hordei calido, copioso, cui remixtum erat acetum, sudores ciendi scopo. Augebatur febris; sitis inexplebilis; ingens cardiæ ardor inflammationis ventriculi metum ingerebant. Tandem dabatur post duas a theriaca horas radicis ypecacuanhæ semidrachma; cui ægra aquam tepidam superpotabat. Vomuit cum insigni levamine, evanescentibus anxietate, nausea, cardialgia, delirio. Sequebatur placidus somnus, & lenis sudor, bubo increvit, & ægra reliquum morbum facile superavit.

Sicuti vero hic eventus emeseos necessitatem, & utilitatem ad oculum demonstrat, ita ex symptomatis, quæ misera ex optimis diaphoreticis perpessa est, concludi omnino debet, quod supra jam dixi, præsente saburra, quo plus sudorum prolectioni insistimus, ægros tanto magis lædi. Ceterum si virium in ægro vacillans status, aliave symptomata citam poscerent medelam, aut ex emetici dilatione damnosæ prudenter metuerentur sequelæ; utique satius esset in casu dubio ægrum emeseos, quam gravioris mali subire periculum.

Verum & notandum est, facile evenire posse, præsertim in ægris febre putrida detentis,

ut in progressu morbi saburra, potissimum bilis, circa præcordia colligatur, quæ ab initio non fuit, quæque proin, mox ubi se manifestat, per vomitum, aut pro re nata per alvum deturbari debet, tum quia operationem naturæ circa apostemata remoratur, tum vel maxime ne postea perniciosam adferat, vixque compescendam diarrhœam.

Si excussa est, aut prorsus nulla fuit crassior saburra, æger tamen vomit, ad paregorica & narcotica omnino confugiendum est; queis pro ea, quam virium status & reliquæ ægri suggerunt conditiones, indicatione varia admiscenda, vel superpotanda sunt. Sic ubi æger minus calebat, vires languebant aquæ menthæ proprio spiritu potentior reddita, laudano liquido remixta mihi in frequenti usu erat, item & theriaca andromachi. Antemeticum Riverii etiam aliquoties ex voto successit. Id in ægris bonarum virium exhibebam.

Si vero vomitiones prægressæ, aut etiam, ut Sydenhamus loqui amat, materiæ morbificæ radii intro reflexi, id est retrogrediens materia perspirabilis, tantam induxerint cardiæ sensilitatem, ut his ipsis irritetur, quæ vomitui compescendo idonea exhibentur, tunc stragulorum pondere, capitis obvelatione, panni lanei aceto forti aromatico calido imbuti, panis ex furno recens extracti, oleorum stillatitiorum, herbarum, pulverum aromaticorum, & narco-

ticorum ad cardiam externo applicatu tentandum est inducias impetrare, quæ internis remediis locum dent.

Verum & subinde contingit, Medicum non prius advocari, quam ubi natus ex vomituum frequentia, intolerabilis cardiæ ardor, dolor, febris, sitis, aliaque indicia ventriculi inflammationem, aut jam præsentem, aut certe imminentem manifestant: tunc res ægri in angusto est; quæcumque enim, sive antiphlogistica, sive emollientissima, aut anodina in usum externum, internumve trahantur, vix aut ne vix quidem tanto malo opitulabuntur: unicum superest auxilium venæ sectio; quæ proin instituenda est, si ex virium conditione aliqua saltem utilitatis spes affulgeat.

Vomitus materiæ biliosæ, sinceræ, aut æruginosæ, vel utrisque remistæ vertigini, virium collapsui, aliisque apoplexiæ signis superveniens, exitialis est. In mitiori malo theriaca andromachi cum aceto & camphora subinde levamen attulit.

Fluxus alvi spontanei utilitas, & artificiosi necessitas, noxæve iisdem, quæ de vomitu mox dicta sunt, dijudicantur rationibus; ut enim hunc abesse semper præstat, ita ceteris paribus, alvus clausa præ fluente magis ægro conducit. Omnis enim, quæ non ad sanitatis legem & morem fit, evacuatio cutis excretionem, adeo in peste necessariam, divertit: dein

peſtis, acutiſſimus morbus quum ſit, ſi omnino ante quartum diem, aut ipſo quarto die mortem non infert, ſaltem futuri exitus plerumque exhibet criterium. Quivis vero æger alvum clauſam, ut minimum ad quartum diem uſque, ſi non ultra ſine incommodo perfert. Denique natura virulento laceſſita ſtimulo, a ſuo ſcopo ſæpe ſponte aberrat, juſtosque tranſilit limites, & dum in initio levari videtur, paulo poſt ſuccumbit; ſive ex nimia alvi evacuatione, ſive ex miaſmatis violentia, utpote quod ſub illa per viam, qua oportuit, excerni nequivit. Quid ergo boni jure expectari poſſet, ſi ars temerario auſu turbas concitaret, aut augeret?

Cautum ergo oportet eſſe Medicum circa alvi reſerationem, quum etiam ea, quæ in aliis circumſtantiis, in alio morbo profutura fuiſſet, perniciem adferre poſſit. Unde multo frequentiores ſunt indicationes, quæ alvum moderari, aut cohibere, quam quæ ſolvere jubent. Interim verum eſt, quod quæ materiem primas vias gravantem moderato fluxu egerit, ſemper proſit. Remanens enim in corpore talis materia morbum ſovebit, ſpaſmos turbasque ſuſcitabit, quæ ſalutari cutis excretioni, miaſmatisque depoſitioni non minus, forte & plus officient, quam ſi fluxiſſet. Præterea eadem hæc, ut jam ſupra dictum eſt, quo diutius in corpore hoſpitabitur, tanto magis corrumpetur, & funeſtam ſerius ocyus inferet diarrhœam.

Ubi itaque ex prægreſſa intemperantia, abdominis elatione, vagis doloribus, murmure, hypochondriis tenſis, dolentibus, aliisque indiciis materiam in inteſtinis turgere, & jam exitum moliri cognoſcebamus, emollientia & lubricantia exhibebamus; queis, raro quidem, nonnihil ex leniſſimis eccoproticis addebamus; at ea tantum doſi, quæ præcise ſufficere videbatur, ut natura ſuo muneri obeundo alliceretur, nequaquam irritaretur.

Solenne vero nobis erat, pacificam hanc catharſim ſic inſtituere, ut quod per alvum ſeceſſurum eſſet, liquidum, ſimul reſarciretur, ut nimirum diapnœ vel nunc abſens poſt tanto commodius impetraretur; vel præſens vix turbaretur. Hinc quæ alvo ſolvendæ erant, conveniente calido, ſatque copioſo vehiculo, quod tamen vires facile moverent, diluebamus, aut ſuperpotandum exhibebamus.

Noſtris Valachis pruna, aut etiam mala perſica cum melle coquebamus in pultem, quam cochleatim ſumebant, & calidum ſuperbibebant hordei decoctum; quod & nonnunquam addito nitro, & melle per epicraſin ſolum exhibebamus: decoctum quoque prunorum & paſſularum itidem cum melle & nitro in frequenti uſu fuit.

Eadem omnino ratione ſaburram ſub morbo congeſtam, aut jam motam educere, quam leniſſime ſatagebamus. Bilis potiſſimum æſtate & autumno, ut in morbis vulgaribus, ſic in peſte

ſæpiſſime regurgitat, quæ omnino evacuari debet.

Si vero prudenter metuitur, ne mox enarrata lubricantia materiam efficacius ſolvant, vel ipſa eadem hæc egerendæ copiam nimis augeant, aut inteſtina juſto plus lævigent, hinc fluxum proritent, quem poſtea refrænare, aut cohibere difficile fore videatur, ſatius erit per ſuppoſitoria ſaburram ad exitum ſollicitare, queis, ſi fors non obaudiat, clyſmata emollientia, utpote quæ minus, quam quæ per os aſſumuntur, turbant, in uſum trahenda erunt; horum auxiliorum commoda non admittebat plebis, cui opem ferebamus, ruditas, utpote quæ fere omne id rejiciebat, quod non noverat, aut olim non experta erat.

Ubi alvus ſpontaneo, & ſimul moderato fluxu ſine virium, & excretionis cutaneæ detrimento ſaburram evacuat, nihil tentandum erit, quod eandem ſiſtere, aut turbare queat. Vidimus ſub tali alvo abſentem diapnœn prodire, bubonis germen attolli, carbunculum inflammari, petechias miliares cum inſigni levamine foras erumpere, immo & jam proſtantes non tantum non regredi, ſed lætiorem induere colorem, ſi vero natura ſalutari quidem, at nimis præcipiti motu gravantem ſarcinam excutere nititur, ſicque ipſa ſuas vires juſto largius profundit, eam refrænare, & intra debitos limites continere oportet. Materiæ autem in copia & qualitate

conditiones, morbum prægressa aut ejusdem invasionem comitata prophasis, ægrive prædispositio, maxime vero præsentes in eo vires docebunt, quid agendum sit, nonnunquam obtinendo justo moderamini demulcentia, leniter mucilaginosa sufficiunt. Sæpe idem impetrant aromatica, intestinisque robur addentia medicamenta, subinde hæc & illa conjungenda sunt, ut simul intestinis prospiciatur, & materiæ acrimonia obtundatur.

Quæ quidem, si nec scopum feriant, supersunt anodina & nercotica, varia, demulcentibus aut & roborantibus addenda, vel interpolanda proportione, prout rerum circumstantiæ postulabunt, procul dubio quandoque & conferet clysmate quodam demulcente, emolliente, aut si opus videtur, leniter laxante materiam in intestinis stabulantem educere, aut saltem minuere, dein aliud anodinum immittere, ut, si hac ratione malum omnino non tollatur, saltem induciæ impetrentur. Per extra quoque aromatica, ventriculo, umbilico, immo & toti abdomini applicata, aliquid proficere possumus, inprimis si horum efficacia per calorem externum ope sæculorum furfure, avena, herbis siccis refertorum adjuvetur, interea dum convenientia interne exhibentur.

Ex his quoque intelligitur, qua ratione is alvi fluxus sisti debeat, in quo nec cruda corruptave in intestinis ingesta, nec bilis acrior abun-

dantiorve, aut alia crassior saburra culpari potest; ubi videlicet perspirationis per suas causas impeditæ materia remeat, totumque primarium viarum tractum inundat, & sursum, ut de vomitu dixi, deorsumque sæpe cum impetu evacuatur. Talis alvi fluxus evacuata materia nonnunquam sponte sistitur, vel saltem diapnoicis, & leviter aromaticis remediis facile cedit: aliquando tamen & narcotica requirit, præsertim si materia acrior intestina nimis lacesserit, aut iisdem lævorem induxerit, bolus armena, quæ putredini resistit, acre obtundit, & simul roborat, in his circumstantiis pulchro se subinde distinxit effectu. Ubi autem viribus fractis accedit frequens, liquida, fœtens; biliosa alvi dejectio, vix non jam cum ægro conclamatum est, vixque alia, quam in externis internisque auxiliis, quæ mox recensui, relinquitur medela.

Ex his omnibus elucescit alvum sponte fluentem non semper damnosam, ut voluit Diemerbroeckius, proinde eandem non continuo sistendam esse, ex adverso vero eos itidem in errore fuisse, qui pestis curationem sine discrimine a catharticis inchoabant, rati miasma adhucdum imprimis latens, aut jam intra corporis recessus admissum catharsi evocari & educi posse. Talis enim catharsis contra Naturæ ductum instituta, quid aliud facit, quam quod vires labefactet, motum Naturæ, qui versus

peripheriam eſt, pervertat, miaſma forte jam ad vaſa cutanea propulſum, intro revocet, ſpaſmos cieat, augeatve, tandem humores, qui expellendo veneno vehiculo eſſe debuerant, eliminet, vix poſtea reſarciendos?

Nauſeæ, vomitus, diarrhœæque cauſis merito accenſentur vermes. Inviſorum in aliis morbis meminit Diemerbroeckius Hiſt.48.52.70. quos in putredine vi veneni concepta ſubito natos autumat. Nobis nulla alia ſpecies occurrit præter lumbricos, qui procul dubio, ante peſtis invaſionem, in corpore præexiſtebant.

Mulier, quæ cum viro ægris ſerviebat, peſte correpta nauſeis, & vomituritionibus, quæ nullis remediis cedebant, vexabatur. Propinatum emeticum magnam lumbricorum copiam per os & alvum expulit. Compeſcendis a vomitu turbis, & reſtituendæ diapnoæ dabatur ſub veſperam theriaca andromachi cum camphora, dein & infuſum diapnoicum: unde mire levata poſtridie reperiebatur, ſicque manſit duos dies in optima ſanitatis recipiendæ ſpe. Acceſſit dein irrequies, & ſomnus turbatus, alvuſque aperta, ſed mollis, quæ nullos vermes excuſſit, cutis erat madida, bubo immotus, ægra interim valde debilis. Reficiendi vires gratia porrigebatur theriaca cum camphora, & infuſo vinoſo. Altero mane dormiverat ſat commode, ſed ſimul magnam vermium copiam rurſus regeſſerat, cum levamine quidem, manſit tamen

debilitas, quæ optimis remediis se restaurari non sivit. Paulo ante mortem massam egessit vermium enectorum, qui vix a fœcibus distingui potuissent, nisi antecedens morbi decursus horum suspicionem genuisset, felicior fuit puer, qui ab initio morbi lumbricum per os rejecit, sine ulla mala sequela.

Non dubito hæc animalcula apud multo plures hospitium habuisse, verum antea malum non suspicati, minus attendimus: quam ut posteri vitent incuriam, duo hæc exempla sufficiunt.

Remedia quod attinet, ea certe in peste locum non habent, quæ alvum valide movendo, vermes excutiunt, & expellunt, immo nec ea, quæ intestinorum pituitam sensim minuunt, & educunt. Peste enim infecti protractum, ut ut mitem alvi fluxum non ferunt, multo minus fortem catharsin, ut ex dictis abunde colligitur. Verum quum ea fere omnia, quæ curando morbo principi porriguntur remedia, vermibus horumque nido adversa videantur, iisdem quoque subinde fugantur, aut prorsus necantur. Interim si quis familiaria & usu comprobata quædam contra vermes speciatim ussurpare cupit, ea seligat, quæ non turbant. Sic sulphur, cinnabaris, pulveres absorbentes, radix pæoniæ, filicis & alia id genus pro re nata in usum trahi queunt, dummodo nihil exhibeatur, quod officiat, & ea interim fiant, quæ ma-

joris momenti postulant indicationes. Hinc si vires simul excitandæ sunt, camphora, myrrha, scordium, tanacetum, radix valerianæ sylvestris, quæ a virtute anthelmintica laudantur, & simul stimulant, ceteris anteponi debent.

Anxietas tam individuum est a peste symptoma, ut vix ullus reperiatur æger, qui ejus prorsus expers sit. Vario modo eam exprimunt ægri, dum sibi circum præcordia bene non esse, cor dolere, angi, premi, stringi, arctari perhibent, aut alia æquipollente phrasi utuntur.

An a miasmate hujus origo? Certe si ejus efficacia in solidorum atonia, viriumque cordis, & vasorum in fluida renisus labefactione, ut jam sæpe monui, potissimum consistit, ibi procul dubio noxa se primum manifestabit, ubi sanguis naturaliter lenissime movetur, id est, in convergentibus venæ portarum ramis, in quibus proin sanguis congeretur, & fere stagnabit. At aliunde constat nata in hepate notabili obstructione leviorem gravioremve persentisci ad cardiam anxietatem. Numquid ergo humorum in eodem viscere retardatio, congestio, stasis eandem quoque sensationem creare valent? Tanto autem magis inducor, ut credam id fieri, quod anxietatem queri viderim ægros, in quibus nulla ex mox enarrandis caussis subesse videbatur, & interim respiratio vix, aut non nisi leviter læsa apparebat, pulsusque, si debilitatem excipias, ad sanum accedebat.

Verum aliæ causæ sæpe accedunt, quæ solæ hoc symptoma producere, & miasmati junctæ exacerbare valent. Saburra circum præcordia congesta anxietatem subinde fovet, hæc excussa, si vires constent, aut congrue excitentur, cessat, revertente simul diapnoe.

Multo autem frequentius spirituum ataxia & inde nati spasmi eundem affectum excitant, & augent. Atrocis videlicet morbi idea, discriminis mortisque metus, politicarum ordinationum apparatus, imminens in nosocomium detrusio, & a suorum consortio privatio ægros mire turbant, & angunt. Vidi tamen anxios, qui se levi & minime periculosa febre teneri arbitrabantur, & ceterum nihil habebant metuendum.

Longe sævior erit anxietas, si cordis vires propellendo per pulmones sanguini sint quoque debiliores, & hinc respiratio lædatur, quod quidem etiamsi sanguis minime densus, sed potius tenuis fuerit, id est, absente pulsus duritie, roboreque evenire posse, nemo non videt. Hinc quoque fors explicari potest, qui fiat, ut calor in internis fere æstuosus, in externis vero remissus appareat. Quum enim labefactatis potentiis moventibus circulatio in majoribus vasis fere tantum absolvatur, tanto major erit in internis humorum attritus, & tanto major æstus, quo circulationis ambitus minor evadet.

Anxietatis curatio ex dictis facile eruitur: si saburra angit, ea protinus ejiciatur: si vires languent, stimulentur per talia, quæ simul ad peripheriam ducunt: si animi pathemata eam fovent, paregoricis sopiantur: si sanguinis viscositas inflammatoria in culpa sit, solvatur per congrua remedia, & si vires ferant, per venæ sectionem, ea ratione, ut supra dictum est. Si vero hoc symptoma cum respiratione anhelosa viribus prorsus fractis accedit, ut in omnibus morbis, sic in peste medelam non admittit.

Animi deliquium est ingentis subitæque virium prostrationis effectus, in quem quoque graves animi affectus frequentissime concurrunt. Eadem in peste conferunt, quæ in aliis morbis. Acetum forte simplex, aut penetrantibus aromatis prægnans, spiritus alcalini simplices, aut oleis stillatitiis nupti vulgaria sunt, & simul efficacia in usum externum internumque trahenda remedia.

Ardor stomachi ab omnibus causis oriri potest, quæ eum extra pestem producere valent. Communissimæ tamen sunt ciborum corruptela, bilis regurgitans, spirituosorum, ad quæ plebs tum præservationis, tum medelæ scopo, saltem in his terris plerumque confugit, acrimonia, immo medicamentis nimis calide sumptis præsertim vinosis, acidis, aromaticisque subinde debetur, ad hanc causam oportet attentum esse Medicum, ne fors morbo tribuat, quod ex medela oritur, malum.

Pro varia itaque causa diversa quoque ratione huic symptomati succurritur, ubi materiæ acris copia insignis est, vomitu spontaneo artificiosove quandoque tollitur, at non semper perfecte, mali reliquiæ diluentibus demulcentibusque, & ad peripheriam ducentibus, ut plurimum auscultant, & reduce diapnœ penitus evanescunt, quando videlicet ab imminente, aut jam ineunte inflammatione non oritur, de hac autem ardoris specie supra dictum est.

Deliria, ut a varia causa procedunt, variaque juncta habent symptomata, diversam quoque poscunt medelam. Saburra circa præcordia congesta eadem non raro fovet, qua ejecta cessant, aut saltem mitigantur. Subinde vix aliud culpari potest, quam quæ a miasmate pendent turbæ: illo eliminato, aut deposito sponte cessant. Ita occurrerunt ægri, qui mox ab horripilatione in impotentiam mentis lapsi, omnium, quæ acciderant, quæ ipsi sumpserant, nescii, quarto die bubonibus carbunculisque se deturpatos mirabantur. Nonnunquam excedenti humorum versus encephalon motui debentur: argilla aceto subacta, fermentum panis solum, aut herbis aromaticis intritum plantis pedum supponebamus, aliquando demulcendis, qui hunc affectum fovebant, spasmis paregorica modo mitiora, modo efficaciora, pro re nata ceteris medicamentis adjungebamus.

Ubi vero deliria a fola virium imbecillitate proficifcuntur, dum huic convenienter fuccurritur, illis quoque medela adfertur.

Coma eos plerumque tenet, quibus laxior eft folidorum compago, & humores abundant: raro febris in his modum excedit; hinc veficantia ad furas, fubinde & ad nucham applicuimus; præfertim ubi metus erat, ne fuperftites in ægro vires vincendo morbo impares futuræ effent.

Hæmorrhagiam narium in pauciffimis ægris obfervavimus. Salutaris erat, ubi eam mera fanguinis dabat abundantia, viriumque robur comitabantur; temporum pulfatio, pungens capitis dolor annunciabant, & levamen fequebatur, quod ex voto procedens cutis excretio, & tumorum elatio demonftrabat, fic circa diem quartum oborta, puerum quatuordecim annorum ab acri, quæ ipfum jam inde ab invafione torferat, cephalalgia vindicavit, bubonem extulit cum infigni & conftanti ceterorum fymptomatum levamine. In alio ejusdem ætatis puero feptimo morbi die æque felicem nacta eft fucceffum.

Ea vero lethalis fuit, quæ viribus imbecillis accedebat, quæ a foluto per vim morbi fanguine proficifcebatur, quæ ægrum magis debilitabat. Hanc præcedebant, comitabantur, aut brevi fequebantur petechiæ latæ, fubinde primum rubellæ, dein lividæ, & tandem nigræ. Vix aut ne vix quidem compefci poterat, & etiamfi fifteretur, tantum mora nectebatur

morti, quæ tanto certius ſequebatur, quod nec ſanguinis tenuitas cito corrigi, nec viribus conſuli poterat, quin recrudeſceret malum. Habui ægrum ætatis floridæ, temperiei ſanguineæ, qui quartum morbi diem cum optima ſpe eluctatus erat; acceſſit, cauſam reſcrire non potui, ingens debilitanſque narium hæmorrhagia quinto morbi die, quam quidem ſtiti, ſed rediit ineunte ſexto die, & eam brevi poſt excepit phreneſis, cui æger commortuus eſt. Qui quidem eventus mihi ſuſpicionem indidit, ægrum in ſpirituoſis clanculum ſalutem quæſiviſſe, ceteri enim ſimiles ægri moriebantur obſcure convulſi.

Fluxus menſtrui eadem plane ratio eſt, quæ hæmorrhagiæ; narium videlicet exitium fert, a ſanguinis nimia tenuitate oriundus, irregularis, enormis, debilitans, ſalutaris eſt, quem congruo tempore & modo inſurgentes Naturæ vires cient.

Mulier 35. annorum robuſta & carnoſa tres abhinc dies vagos in artubus inferioribus dolores, inediam, cephalalgiam, gravitatem experta interea, dum mortuam lavaret, vibrante ſub inguine dextro, ibidemque ſedem figente dolore percellebatur. Inceſſit altero die horis pomeridianis horripilatio, quæ totam noctem duravit. Exhibita ad diaphoreſin medicamenta levamen attulerunt quidem, at inconſtans: ſpaſmodici ad diaphragma dolores totam noctem turbaverant.

Tertio die his acceſſerat reſpirationis difficultas, tuſſis moleſta, tenſio ad nucham, ardor

ad cardiam, ructus frequentes, fœtidi, os amarum, lingua ſordida, fere ſicca, pulſus celer, contractus, fortis tamen; dabatur emeticum.

Quarto die levatam ſe ajebat ægra, dolorem tamen ad tempora, & ad orbitas querebatur; pulſus heſterno fortior liberiorque hæmorrhagia narium, utut non copioſa, omnia ſymptomata minuit, cutique modicam humiditatem reduxit.

Quinto die, qui ab horrore quartus erat, menſes ad conſuetum tempus fluentes excepit ſudor, qui febrem ceteraque mala minuit, & dein plane ſuſtulit. Bubonem ovi magnitudinem adeptum geſſit in tertiam ſeptimanam immotum. Tandem diſſipatus eſt. Puerperas peſte correptas, quas videre contigit, e medio ſuſtulit lochiorum fluxus.

Hæmoptœen, mictum, aut alvum cruentam non obſervavimus. Lethales pronunciavit Diemerbrœckius, excipe tamen hæmorrhoides, quando mere abundantem evacuant cruorem.

Quæres, an, & quatenus miaſma affectionum ſtomachi cauſa ſit, aut haberi poſſit?

Movendæ huic quæſtioni anſam potiſſimum dat eorum ſententia, qui credunt miaſma ſaliva irretitum, & deglutitum nervos ſtomachicos proxime afficere, nauſeam, vomitumque tanquam ſalutaria conamina habebant, queis hoſtem eliminare ſatageret, atque hinc emeticorum neceſſitatem, & utilitatem demonſtrari contendebant.

Huic opinioni favere videtur sequens casus. Purificationis minister cistam, quæ supellectilem ex familia peste exstincta residuam, aliquot menses recondiderat, horis ante meridianis jejunus aperiens fœtore insolito, quem ad nullam speciem revocare, proin nec explicare potuit, offendebatur. Supellectilem tamen excutere aggrediebatur; verum mox ingenti, & infanda cephalalgia, caligine, vertigine, vomiturítione, virium prostratione, & totius faciei abalienatione prehendebatur. Domum reverti cogitans sociorum suasu sumpsit, quem præsto habebant, haustum spiritus vini viridis sic dicti, quia folia menthæ in eo macerantur, ter, quaterve vomuit, redibat menti serenitas, & satis virium, ut facile domum repeteret. Lectum petiit, & probe dormivit, a quo sic refectus est, ut postridie ad solitos redierit labores. Quum itaque vomitus tam cito, & tam feliciter juverit, videtur miasma stomachum affecisse, idque mox rejectum fuisse.

Multa tamen idiopatheticæ, immediatæque nervorum stomachicorum a miasmate affectioni sese opponunt observata, quæ si opinionem contrariam non prorsus evertant, saltem valde incertum reddunt. Quæ mihi occurrunt, referam.

I. Absente omni in primis viis saburra, in nullo non ægro imbecillitas, hebetudo, stupor, temulentia observantur, quæ malas cardiæ affectiones tanto quidem magis post se trahunt, quan-

to fuerint graviora; illa si sustuleris, hæc sponte disparent, etiam nullo sequente vomitu, ut patet exemplo Diemerbrœckii, qui fœtore pestifero graviter affectus solo tabaci suctu se vertiginem, nauseam, cordis anxietatem a se dispulisse testatur; ergo miasma suam vim in encephalon primo exseruisse videtur; si enim per applicationem ad cardiam nocuisset, procul dubio ejici per vomitum debuisset; nemo enim tabaco virtutem miasma pestiferum domandi facile tribuet, præterea omni verosimilitudine caret fœtorem illum, qui procul dubio miasma secum vexit, ad cardiam delatum hanc affecisse, & ex hujus consensu symptomata encephali ortum duxisse.

2. Materiæ æruginosæ origo, & rejectio, & in peste, & in aliis morbis haud topico ventriculum offendente irritamento, sed gravi encephali læsioni, quæ talem vomitum præcedit, & comitatur, jure merito tribuitur; cur non ab eadem causa leviori mitius malum quoque repetatur?

3. Inedia, nausea, vomitus æque observantur, ubi pestis per fomitem, quam ubi ex aere contrahitur.

4. Hominis in atmosphæra pestifera constituti; oris & narium cava, patens aeri pulmonum superficies, miasmate, quod vehit aer, continuo alluuntur, sine noxa, quæ applicationi huic tribui possit; sed si hæ partes, quod tamen rarum est, aliquando in pestiferis affectæ conspiciantur, invasionis & progressus morbi con-

ſideratio ſatis docent, miaſma vi vitæ ab internis ibidem deponi; ut quid ergo id ſolo applicatu cardiam lædere dicatur?

5. Noxios vapores, puta vini fermenteſcentis, carbonum, plantarum viroſarum, aut e putrido corpore emergentes nemo facile dixerit nocere, quatenus ſaliva intriti, aut per ſe ipſos cardiæ nervis applicantur. An maſticatoriorum uſus, ſollicitaque ſalivæ exſpuitio, vel exile ſubminiſtraret præſidium homini, qui gravem his halitibus ſubiret atmoſpæram?

Neque tamen hæc ſic dicta volo, quaſi eos damnem, qui ſalivam apud ægros ſollicite exſpuunt, & in hunc finem maſticatoriis utuntur, ſed tantum contendo difficillimum eſſe, vel probabili conjectura aſſequi, miaſma haud ultra quam in ventriculum penetraſſe, idque adhuc excuti poſſe. Sane noxæ, quas ab emeſi jure metuimus, cautum debent reddere Medicum, ut remedia, quorum emolumentum ambiguum eſt, non temere adhibeat.

Interim ſi fidelis obſervatio latentis in ventriculo, & non ultra progreſſi miaſmatis indicia aliquando detegeret, leniſſima, largoque vehiculo diluta, velut aqua tepida cum butyro, oleo, melle, potius e re forent, quam potentiora.

Lib. 2. cap. 3. Annot. 12.

Narrat Diemerbrœckius poſt Authores, quos citat, ſceleſtos homines fuiſſe, qui carbunculos, & bubones ex cadaveribus abſcindebant, aut ſaniem ex putreſcentibus diffluentem colligebant,

& inde pulveres, unguentaque parabant, hæcque sanis hominibus propinando luem propagabant

Jam vero, si talis casus mox a propinato pharmaco innotesceret. Medico, quantocius exturbandum, nullaque ei sese intra corpus insinuandi mora relinquenda foret.

Quæ hucusque scripsi, ad curationem adultorum maxime spectant, inde tamen, quid teneræ ætati conveniat, non obscure colligitur. Hinc pauca tantum monenda habeo.

Sat constans est Authorum observatio, teneram ætatem pestis jaculis magis, quam adultos impeti, & occumbere. Celerior humorum motus, horum facilis rarescentia, nervosæ fabricæ a levissimis causis, quæ adultos vix movent, irritabilitas, & quæ a prophasibus, a frigore, nimia ingestorum copia, prava qualitate proficiscuntur vitia, hæc corpora ad pestem præparare, & pestis violentiam augere videntur. Accedit nota omnibus regimen obtinendi, & huic ætati medicinam faciendi difficultas, quam humana prudentia, & piarum fraudum astutia vix superare valet. Nequam ætas in ipso rationis primordio omnia respuit, quibus non assuevit, & persuasionibus minus obsequitur, quam irritatur. Quo plus institeris, eo morosiores pertinacioresque reperies.

Eo igitur enitendum erit, ut seligantur remedia, quæ diætam potius, quam medicinam sapiunt, & simul pro varia invasione, virium,

& morbi ſtatu, humorum indole, aliisque circumſtantiis vincendo malo conducunt.

Lactentibus præcipuum eſt remedium lac nutricis; hujus ergo vivendi ratio eo dirigenda eſt, ut proficuæ lacti concilientur dotes. In genere ſit aquoſum, tenue, dilutum, blandum, ex vegetabilibus potius quam ex carnibus natum; ſi vires infantis excitare convenit, potet nutrix frequenter infuſa, ſeminum aniſi, carvi, aut foliorum, plantarum aromaticarum; queis pulviſculum ex camphora eleo-ſaccharo quodam conveniente, pro re nata præmittat; ipſi vero infanti ſyrupi, queis virtus cardiaca ineſt, in vario vehiculo exhiberi poſſunt.

In acidorum uſu caute mercandum eſt cum infantibus, quos, quum per ſe valde irritabiles ſint, levis etiam acor in morbo facile offendit. Accedit, quod & ipſi acido nonnunquam ante morbum jam laborent, tandem acida lactis in coagulum pronitatem augent. Unde ſi humorum imminens, aut jam iniens depravatio indicaverit, ſic mitigentur, ut nocere nequeant. Lactationem emenſis lac vaccinum tripla, quadruplave aquæ copia dilutum; emulſiones valde itidem dilutæ; infuſa theæ vulgaris calide ſorpta diluendis humoribus, temperando horum motui, & promovendæ diapnoe ſitique ſedandæ ſufficiunt; pro ultimo tamen ſcopo ſyrupus quidam ex ſuccis acidis addi poteſt.

Si quidam requiritur ſtimulus, infuſa leviter aromatica, ut ſeminum aniſi, jura carnium,

queis chærophyllum, aut radix petroſelini incocta ſint, e re erunt, his & pauxillum croci addi poteſt.

Ubi vires vacillant, eadem hæc virtute ditiora, mulſum cui myrrha aut camphora addita ſit, illas erigunt. Vinum huic ætati raro amicum. Si tamen conſuetudo & morbi ratio ſuadet, modicum aqua dilutum exhiberi poterit. Epiſpaſtica & veſicantia ætati & morbo accommoda ſubinde locum habere queunt.

Nimiæ nervorum irritationi occurrunt, & medentur infuſum, aut & ſyrupus florum papaveris rhæados, & pro ratione papaveris albi.

Si humorum diſſolutio metuitur, ſyrupi ex ſuccis acidis, ut myrtillorum, corticis peruviani infuſum, tecta amaritie, & cetera, quæ ſupra in curatione adultorum citavi, adhiberi queunt; at habita ſemper ætatis & morbi ratione.

Tandem morbi, queis hæc ætas ceterum obnoxia eſt, in infectis omnino attendi debent. Acido ſæpe laborant, ſubinde, voraces quum ſint, primas vias habent ſaburra oppletas. Ablactatos, quin & pueros grandiores infeſtant non raro vermes. Hinc quæ de vomitu, catharſi, & vermibus dixi, ubi opus erit, in uſum, quem ætas fert, revocanda, & exhibenda ſunt.

Accedo nunc ad therapiam apoſtematum, quæ in externa corporis ſuperficie apparent, bubonum videlicet, & carbunculorum.

Enarrata capite tertio bubonum phænomena plane evincunt, eos inflammationes vulgares exacte æmulari, ſimilibusque ut ipſas exitibus obnoxios eſſe. Externa ergo, quam poſcunt, medicatio iisdem prorſus nititur, & dirigi debet dogmatis, quæ inflammationis hiſtoria generalis ſuggerit, & præſcribit. Solum, quod intereſt, diſcrimen dat conditio materiæ, utpote quam revellere, aut repercutere rariſſime certe tuto liceret. Neque enim natura eam fruſtra deponit.

Antequam vero ultra pergam, monitum volo ſub omni quidem forma, ad vulgares tumores uſitata medicamenta peſtilentibus itidem applicari poſſe. Fomenta & cataplaſmata eximii ſunt ſubinde, & ferme neceſſarii uſus, incommodum tamen habent, quod apud ægros parari, certo caloris gradu apponi, in eoque conſervari, & frequenter renovari debeant, indeque denudationem poſcant, & gnaros ſeduloſque miniſtros, qualium in peſte ut plurimum penuria eſt. Unguenta diffluunt, & facile loco cedunt. Commodiſſima ſunt emplaſtra, quia a Chirurgis pro ſuo otio ad telam extendit comportari, ægris diſtribui poſſunt, cito applicantur, tenacius adhærent, & rariorem poſtulant renovationem. A fomentis itaque, cataplaſmatis & unguentis haud expeti ſolent, peſte graſſante, effectus, quos præſtare valent emplaſtra. Atqui quum tamen ceteris paribus

inertiora ſint, eo ſaltem enitendum eſt, ut, ubi reſurget, reddantur efficaciſſima. Id fiet, ſi ex materia ſcopo idonea componantur, juſta donentur conſiſtentia, liberaliter illinantur, tepefacta applicentur, & ſacculorum arena, furfuribus, farinis, herbis ſiccis farctorum appoſitu in debito calore conſerventur.

Triplex in bubonibus ſtadium diſtingui poteſt: primum ineuntium, alterum maturantium, tertium ſuppurantium.

Ineuntes cum levamine, & virium augmento indicant naturam perficiendo, quod intendit, operi parem, ſpemque dant optimam, id ipſum reapſe perfecturam eſſe, niſi quid adverſum intercurrerit. Topica ergo adſectio nihil requirit, quam ut incepta metaſtaſis adjuvetur, materiæque deponendæ receptus extus promoveatur. A dolore autem, quem vires bonæ ſtipant, leniore, aut acutiore, minorem, aut majorem in loco adſecto reſiſtentiam obtinere intelligimus. Conducent ergo emollientia & laxantia. Primo quidem caſu ſufficiunt emplaſtra, quæ vix plus agunt, quam materiam perſpirabilem in loco, cui applicantur, cohibendo, eamque ibidem ſiſtendo. Emplaſtrum diachylum ſimplex in uſu frequenti nobis fuit. Altero vero caſu aliud emollientius e re eſt, ut exempli cauſa emplaſtrum filii Zachariæ Diſpenſatorii Vienenſis, vel ſimile. Quando dolor præter rationem, id eſt, ex debilitate lenis obſervatur, at-

que hinc metastasis non levat, aut segnius procedit, emollientia non repugnant quidem, at his irritantia remissiora, aut validiora pro re nata adjungantur, aut ea seligantur emplastra, quæ utraque virtute pollent. Talia sunt de mucilaginibus, diachylum cum gummi, de ammoniaco.

Si dolor magnus ægro molestiam, inquietem, vigilias facessit, jam liquet, irritantia omnino noxia esse, & emollientia efficaciora requiri. Emplastra, quæ ad hunc scopum plane sint, Dispensatorium Viennense non habet, facile tamen parari possunt ex symphyto, althæa, malva, seminibus lini, fœnu græco, oleo lini, aut olivarum, & cera, quantum sufficit ad debitam consistentiam. Eadem hæc tum & multa alia, quæ brevitatis gratia prætereo, pultibus ad emplastrorum commoda accedentibus aptam præbent materiem. Unguentum de althæa, populeum, diapompholigos virtute sunt eximia, quæ, si per se applicare minus juvat, in emplastri formam facile cogi possunt. De sacculorum usu supra dixi, neque etiam obsto, si fomenta & cataplasmata emollientia substituantur.

Interim scire refert, an dolor cum insigni virium labefactatione conjunctus sit, an ex velociore humorum motu proficiscatur; si ultimum obinet, mox enarrata emollientia plane indicantur, queis pro re nata dolorem efficacius

obtundentia admifceri poffunt, puta cynogloffa, folanum, hyofcyamus; fi primum, jam intelligimus, acrimoniam infignem fubeffe, & humores in fpontaneam abire corruptelam. Ergo fimul conducent, quæ putredini refiftunt. Fermentum panis, acetum, fcordium, alliaria, tanacetum cum ceteris mox enarratis in ufum veniunt tali nimirum temperamento, ut dolorem non adeo exacerbent, quam levent. Subinde theriaca Andromachi emplaftri inftar illita omni fcopo fatisfacit.

Non eadem itaque fingulis ægris æque conducunt externa remedia. Dummodo tamen vires conftent, non tanti refert, quis præcife fit medicamenti ex fefe congrui in virtute gradus; natura enim fibi fufficiens exquifita non pofcit. Et profecto docuit experientia ex applicato eodem remedio, bubones alium in his, alium in iftis, prout nimirum virium ftatus, indolesque morbi dabat, nactos fuiffe falutarem exitum, refolutionem, aut abfceffum. Sic apud Valachos fui Medicos, qui folium braffscæ aqua calida maceratum, dein butyro, oleo lini, fubinde & melle illitum ufitabant, uterque exitus quoque locum habuit. Immo Medici Chirurgique, qui nihil non moliebantur, ut abfceffum obtinerent, hunc tamen non femper impetrarunt, fed refolutos tumores aliquando faltem viderunt. Quamdiu igitur bubones inter alterutrum exitum, quod fub initia communiffimum

eſt, ambigunt, ſuadet ratio, ut mediam viam incedamus, & eventus determinationem naturæ arte ut plurimum ſapientiori relinquamus, nihilque tentemus, quod eam in transverſum agere valeat.

Neque metuendus eſt materiæ depoſitæ regreſſus; a viribus enim, quas interna medicatio dirigere debet, maxime pendet veneni in loco minus reſiſtente retentio. Et certe id non ex attractionis topicæ inopia, ſed potius ex virium defectu unquam remeaſſe videtur. Legitimus ergo externæ Therapiæ in bubonum initiis ſcopus eſt, ut ſalutarem metaſtaſim impetremus; & ceterum, quo vergat, a ſecuturis phænomenis edoceri præſtolemur.

Ex his omnibus patet eos, qui cum febre inflammatoria ſunt, peſtis typos, veſicantium, attrahentiumque ad bubones applicationem reſpuere. Neque ulla nos docuit obſervatio, aut firma, credo, adferri poteſt ratio, quæ evincat talia in peſte plus præſtare, aut ſpecialius indicari, quam quidem in morbis vulgaribus. Dixi autem ſupra, locum habere in levamen morbi principis, ubi vis vitæ vacillat, & labitur. Atqui tunc ſolenne nobis erat, ea ut plurimum ad ſuras, aliquando & ad brachia, ſubinde quoque ad nucham applicare, dum interim, quæ rerum conditio ſuggerebát, ad ipſos tumores uſurpabamus rati, ſic principi topicoque morbo ſimul fieri ſatis.

Quan-

Quando ex morbi duratione, vehementia, ſymptomatum pertinacia, dolore pulſante, aut formicante tumoris elatione abſceſſus ineuns intelligitur, maturationi vacandum eſt per eadem ipſa auxilia, quæ vulgares abſceſſus expoſcunt. Virium præſens ſtatus, humorum conditio, ipſaque tumoris phænomena peritum facile docebunt, quid, & per quæ agendum ſit. Velut enim in principiis ſic ſub maturatione non eadem æque omnibus conveniunt. In his ſola emollientia, in iſtis & irritantia magis e re ſunt, ſubinde dolorem obtundentia, ſæpe & antiſeptica indicantur, ad eandem fere normam, quam de primo bubonum ſtadio, ſuggerebam.

Bubonum germina, qui febre continua mitiore tenentur, aut ex vera maligna reſurgunt, longe frequentius, quam in ceteris diſſipantur, nihilominus contingit quoque, ut tumores, qui ſub febre ſat acri maturationis ineuntis indicia exhibuerant, media velut inter reſolutionem abſceſſuum via conſiſtant, obtuſumque tantum ſubinde, & nullum extincta prorſus febre faceſſant dolorem. Tales videlicet præter tumoris incommodum nihil habent a ſanitate alienum: ſubinde quidem abrupta maturatio reſuſcitatur; in pluribus tamen materia talibus humoribus contenta per urinam & alvum ſpontaneo naturæ motu educitur. Neque ideo ſuadeo, ut æger ſuæ ſorti committatur. Juvat enim hominem, quam citiſſime fieri poteſt, incommodo li-

berari. Veſicantium applicatu, ut ut pro more cutem exulcerarent, parum profecimus. At ſucceſſit in iis, quos medelæ non piguit, ſedula congruaque propinatio diluentium, attenuantiumque remediorum, & applicatio emollientium aut ſimpliciter talium, aut ſimul magis, minuſve irritantium. Hedera terreſtris, veronica, ſcabioſa, althæa, glycyrrhiza, fœniculum, petroſelinum, convenientem potum dabant, cui ſubinde ſalem quemdam medium, puta nitrum, admiſcebamus. Extus vero quoddam ex emplaſtris ſupra citatis, ut diachilum ſimplex, vel cum gummi, de meliloto aliudve, prout rerum conditio ſuadebat, applicabatur. Catharſis opportunum inſtituta opus accelerare ſolet.

Et periculo non vacat materiæ talis juſto longior in tumore procraſtinatio. Mulier ſexagenaria, phlegmatica, quæ abs ope medica peſtem feliciter ſuperaverat, bubonem immotum circiter ſeptimanam gerebat, & ſæva ophthalmia vexabatur, quam catharctica levabant quidem, bubonem tamen non movebant. Advocabar quadam die, & invenio regreſſo dolore perfecte cæcam. Validum ſatis catharcticum aberrantem materiam eduxit, & viſum perfecte reſtituit. Similis fere caſus notatur in Lib. 3. conſult. Med. Gregorii Horſtii. Sect. 3. ubi Antonius Poxpartus Ulmenſis Reipublicæ olim Medicus de juvencula quadam Auguſtana fæmina

temperiei frigidæ narrat, poſt evictam luem die cæcitatis undecimo, exhibitis pillulis ex extracto cephalico purgante cum venæ ſectione, revulſionis gratia in brachio dextro inſtituta, lucem oppido recepiſſe. Et ſi vero regreſſi bubonis nulla hic fiat mentio, videntur ſaltem quædam morbi reliquiæ fuiſſe cæcitatis cauſa, quæ tempeſtive educi debuerant.

Quæ quidem exempla, quum ſint bubonum, in quibus incepta ſuppuratio extincta eſt, nullatenus iis patrocinatur, qui ſub ſpecioſo, ne bubonis lente maturantis materia regrederetur, obtentu plane crudos aperiri jubebant. Talem enim praxim eadem, quæ in abſceſſibus vulgaribus crudis inferre mala teſtatur Diemerbroeckius: *Quibus enim*, inquit, *bubones citius aperiebantur, iis id male cedebat, nam plerumque immenſi dolores ſequebantur, inflammatio accedebat, febris augebatur, & ſæpe etiam ulcus malignum ac difficilis curationis reddebatur.* Qui bubones itidem crudos ſcarificabant, vix feliciores fuiſſe videntur. Lib. 3. Cap. 12.

Bubonum ſemimaturorum apertio minori quidem ſubeſt periculo, mitioresque trahit poſt ſe ſequelas. At ſaltem id adfert incommodi, quod crudi adhuc, & aperti marginis ſuppuratio & tardius, & difficilius impetretur.

Conſultius itaque omnino videtur, ut bubonis abſcedentis perfecta expectetur maturatio. Sane a ſeriore, tempeſtiva tamen, apertione

nihil mali ſecutum eſſe unquam obſervavimus.

Maturi bubonis indicia alibi inſinuavi. Aperti vero curatio eadem plane eſt, quæ vulgarium abſceſſuum. Si proin ulcus iisdem, quas hi ad ſanationem poſtulant, in circumjecta, ſubjectaque carne, & humore adfluente præditum fuerit conditionibus, non video, ex qua ratione, quoque vero ſimili ſub obtentu apertum diutius, quam vulgare quodvis retineri debeat.

Si quod vero ſe opponit conſolidationi obſtaculum nullum, obſervare nobis fuit, quod in vulgaribus non occurrat, ejus proin ablatio, medicatioque ad communes ulcerum regulas, cautelasque inſtitui, & exigi debet; illas autem nemini non notas ſuppono.

Expoſita hujuſque bubonum peſtilentium medicatio eam abunde refellit, quæ tumores recens natos, crudosque ferro & igne damnabat. Sic virus foras evocari, extirpari, figi, deſtrui contendebant magni nominis, & peritiæ viri. Quanti vero valeant eorum argumenta, expendere eo lubentius ſuperſedeo, quod talis praxeos authores, fautores, commendatores eam ab experientia, & eventuum felicitate firmare, quantum ſcio, non ſuſtinuerint. Certe rerum gnarus ſe vix adduci ſinet, ut credat ex æquali utrinque numero pauciores ſectorum, uſtorumque, quam benignius tractatorum terram uooperuiſſe bubones, deinde etiamſi cetera pe-

titarum ab indole morbi rationum, & eventuum momenta forent utrobique paria, plurimi tamen adhuc interesset odiorum, quæ plebs ex crudeli methodo adversus medentes, & medelam concipit, ansam præcidere & removere.

Multa quoque alia auxilia a virtute specifica quadam alliciendi, attrahendique foras veneni magnis encomiis laudata fuisse leguntur. Ut ut vero inficiari nequaquam præsumam, fors esse in rerum natura verum miasmatis pestiferi magnetem, vix tamen ex omnibus, quæ in hunc usum unquam adhibita fuerunt, auxiliorum, vel unum credo existere, cui virus obsequio fuisse demonstrari possit. Et quis odorum virosorum, halituum subterraneorum, carbonum accensorum noxam ex corporis his male affecto solo substantiæ cujusdam ad partem quamdam applicatu se extrahere posse cogitabit? Omnia itaque virus attrahendi, deprædicata virtute medicamenta aut nihil, aut ex communi tantum aliarum materiarum vi egisse videntur. De præcipuis pauca subjiciam.

Veratri nigri radix eo censu magnum nomen apud multos obtinuit teste Diemerbroeckio. Ejus frustulum cortice abraso, in medio femore, aliave a corde remota parte cuti prius incisæ apponebant, & emplastro firmabant. Sic ægrum manus, pedesque vinctum in dirissimo, omnemque patientiam excedente dolore totas viginti quatuor horas retinebant. Queis elapsis totum

virus extractum, ægrumque omni periculo liberatum propalabant. An eventus experimenti veritatem firmaverit, nemo, puto, mecum non ambiget. Saltem paucissimos, si ullos, reperissemus in nostro suburbio ægros, qui non maluissent pestis sortem periclitari, quam medelam.

Emplastrum magneticum arsenicale multi quidem, nemo tamen magis extulit Barbetto, qui id ad extrahenda omnis generis venena efficacissimum esse deprædicat. Mihi & nonnullis, queis applicatum fuit, immanem dolorem, & ex hoc febris furorisque augmentum attulit, sic ut Chirurgus magnetem avellere, & ad communia eaque mitiora regredi debuerit; videtur ergo illius emplastri vera virtus in irritatione & corrosione consistere. Verum innumeri sunt ægri, queis similia medicamenta plane nocent, ut ex dictis facile colligitur.

Cucurbitulas, quarum usus gravissimis in arte viris arrisit, plane repudiavit ab experientia Diemerbroeckius. *Semper enim*, inquit, *post adhibitas cucurbitulas, cruciatus immanes, febres acerbiores, inquietudines, & anxietates majores sequebantur, nec ullum levamen inde consecutum fuisse unquam vidimus, ita ut earundem usum omnino relinquere necesse fuerit.* (Ibid. Annot. 8.)

Intentio autem, quam præseferebant, in earum usu Medici erat per earum actionem virus a corde citius & melius detrahere. Hinc

eodem teste, cucurbitulas ineunte morbo ipsis tumoribus cum multa flamma apponebant rati, ut videtur, & quemadmodum ipsa res loquitur, modicam attractionem nihil, aut non satis veneni evocaturam esse. Atque hinc intelligitur origo & causa sinistrorum, quæ earum applicationem secuta sunt effectuum. Et certe fortis attractio loco obstructo, inflammatoque applicata tanto magis obstructionem firmabit, augebitque, quo simul vis vitæ fuerit robustior, proinde infarcti vasis distentis debilitatisque humores promoveri impotes stagnabunt, & corrumpentur, vixque benignam suppurationem; nedum resolutionem admittent, sed & simul excitus ab applicatione dolor perennabit & increscet, quia præsens infarctio fibrarum nervearum distractarum impedit relaxationem.

Quæ quidem non ideo adfero, quasi arbitrer cucurbitularum usum semper, & in omni ægro eadem mala esse secutura, sed ut reddam cautos, qui eas experiri cupient. Saltem in aperto est, quod hic intendo, vix aut ne vix quidem plus præstare boni in peste, quam communia irritantia. Propriam experientiam adferre non valeo, eam enim periclitati non sumus. Transeo nunc ad therapiam carbunculorum.

Non quævis constitutionis pestilentis ætas carbunculorum æque ferax est, & bona pars ægrorum abs carbunculis perit, & convalescit;

neque eosdem citra prævium bubonis germen nasci observavimus. Videntur ergo bubones universalis esse metastasis, carbunculi vero duntaxat addititia, quæ materiam, quam illi non capiunt, in superficiem corporis advehat, at excellenti, ut carbunculorum phoenomena effectaque ostendunt, præditam causticitate. Hæc autem non solius miasmatis soboles esse, sed simul ab præexistente, aut per morbum nato humorum vitio originem ducere videtur, carbunculi enim serius oriuntur, & homines blandorum humorum rarius infestant, ut alibi dixi. An ergo plane abessent, si invasio non inveniret, aut morbus non gigneret acrimoniam? An justa idoneaque ineuntis morbi medicatio carbunculos ceterum futuros in aliquibus saltem ægris præoccupare potest? Observata interdum materiæ, quæ genesi carbunculi destinata videbatur dissipatio, pro opinione affirmativa stare videtur.

Sic autem comparata est, quæ per carbunculum fit metastasis, ut ab eo, quo inflammatio orditur, puncto necrosis incipiat eodem, quo illa incedat, gradu. Dolor facile tolerabilis, lenis calor, rubor modicus, tumor humilis, phlegmonem in sua specie mitem designant, exiguamque portendunt fore escharam. Ex adverso dolor magnus, urens, ardens, rubor in centro subito nigrescens, versus exteriora purpureus, in peripheria flammeus, cito progre-

diens, tumor altus, latus indicant tanto ampliorem, quo plus excedunt, sideratum iri carnis portionem. Etsi vero amplitudine insignes carbunculi in nostra epidemia occurrerint, numquam tamen eo necrosim proserpsisse, tantæque molis evasisse vidimus escharam, cui separandæ, aut ulceri inde relicto consanando natura, primum carbunculi stadium emensa, per se impar fuerit, dico per se; quemadmodum enim in vulneribus ex sese non lethalibus, sic etiam ultimis carbunculi stadiis intervenire queunt epigenomena, quæ ægrum ceterum optime constitutum morti tradant. Longe itaque frequentissime natura inflammationi succumbit; quam ubi jam excessit, vires tunc resurgentes solæ, vel saltem congruis adjutæ auxiliis escharam separare, ulcusque consanare haud ægre valebunt. Hinc illi Medici, qui specioso sub obtentu magnam veneni partem absumendi, siderationisque progressum coercendi carbunculos a principio cruente scarificabant, vel novacula ad radicem usque exscindebant, vel ferro candenti urebant, aut aqua forti, butyrove antimonii inungebant, illi inquam Medici videntur, nec morbi principis, nec mali topici indolem, aut naturæ propositum satis perspexisse. Et certe dubitare licet, an scopum, quem præseferebant, cum ægrorum levamine emolumentoque unquam assecuti fuerint. Ut minimum adeo molestas, ne dicam crudeles, praxes paucissimos, si ul-

los credo, reperturas esse nostra ætate fautores.

Quando enarrata supra symptomata ex ratione remittunt, inflammatio sideratioque consistunt, carbunculi ambitus lenis, erysipelatis instar rubet, dolor nullus vel saltem valde exiguus adest, jam infit, aut saltem instat mortui a vivo separatio, quam natura mitissimæ suppurationis ope circum circa, & infra pedetentim absolvit, in his lentius, in istis celerius, prout nimirum eschara mole major, minorve fuerit: prout a viribus ægri faventes, repugnantesve intercesserint conditiones, ut c. 3. jam monui.

Est vero abscedens eschara superficie, quæ aeri contigua fuit, nigra, intus subtusque albida, fere cinerea, viva carne vix laxior, & fere fœtoris & putrilaginis expers. Canis enim, qui domi bene habebat, suumque herum in nosocomia comitabatur, deciduas moles avide devorabat, idque sine ulla noxa.

Prosper inflammationis, separationisque successus ulcus purum relinquit adversus impurum. Contingit quoque, ut, quod mox purum erat, ex neglectu, medelæ diætæve perversitate, aliisque epigenomenis ichorem, sordes, carnes spongiosas concipiat. Verum nemo nescit, hæc ipsa mala ulcerum vulgarium esse communia.

Ex his omnibus sponte sequitur primum carbunculi stadium, quod inflammatio est, maxi-

mam poſcere a medente ſollicitudinem. Ab eo enim ſequentia pendent. Deinde plurimi intereſt ægri vitæ, ut, quæ per phlegmonem fit metaſtaſis, optabilem ſortiatur eventum, ad hunc autem naturæ robur, & congruus humorum motus præſupponitur. De quibus in therapia morbi principis jam actum eſt.

Topica vero remedia quod attinet, origo mali ſcopus & indoles ſatis docent, jam in ipſo carbunculi primordio talia applicanda eſſe, quæ reſiſtentiam, quam adfecta pars receptui materiæ opponit, minuant, vaſa relaxent, phlegmonem mitigent, verbo commodiſſimam facillimamque, quam malum admittit, obtineant metaſtaſim.

Ergo requiruntur emollientia, quorum ſelectum phlegmonis magnitudo, imprimis dolor & ardor definiunt. Carbunculis minoribus emplaſtra mere ſaturnina, puta album coctum, aut de minio, ut plurimum ſufficiunt. Ad majores vero, ubi plus emollire, & dolorem temperare convenit, cremor lactis, butyrum recens, unguenta molliſſima de althæa, populeon, diapompholygos iisdem emplaſtris pro phlegmonis amplitudine commode illinuntur limbo intacto, qui ſua plaſticitate adhæreſcat. Emplaſtrum diapompholygos, quod in quibusdam pharmaciis proſtat, iisdem uſibus efficax eſt, & commodum. Noſtri Valachi, ut bubonibus ſic, & carbunculis cremorem lactis, butyrum,

oleum lini, folio braffICæ lapathive illita applicabant.

Loci adfecti indoles fingularem fubinde pofcit attentionem. Notum eft partes tendinofas humidorum, oleoforumque minus patientes effe. Ubi itaque carbunculus eas occupat, medicamenta conducunt, quæ emolliente quidem, at fimul amica nervis pollent virtute. Simpliciffimum emplaftrum ex terebinthina & cera, tum & ea, quæ hujus additione, vel aucta copia ex balfamo arcæi, aut unguento bafilico parari queunt, e re maxime fore videntur. Si dolor urget, nihil vetat, & anodina ipfis emplaftris admifceri aut fuperillini ea, quam mox explicabam, ratione.

Quæ tumorem coronat vefícula, noftro juffu forfice difeindi folebat, ut nimirum contentus humor effiueret, fuccedentique locum daret, fic enim cauftícæ materiæ copia quadantenus minui, phlegmoneque limitari videbatur, Saltem ex ejus apertione artificiali nihil incommodi obfervavimus, verum nec etiam notabilem noxam, ubi fponte rumpebatur.

A progreffu autem mali, fymptomatumque conditione peritus facile ftatuet, an præfata medicamenta fufficiant, an eorum virtus augenda, an alia fubftituenda fint. Emplaftra, qualia bubonibus infigniter urentibus fuadebam ex fymphyto, althæa, farina lini, hujus oleo, ceraque, adjectis, fi vis anodina fingulariter expe-

tatur, cynoglossæ, solani, hyoscyami succis confecta omni fere scopo, quem summa phlegmone, indicat, satisfaciunt; queis tamen si inertiora comperiantur cataplasmata fomentaque, quemadmodum de bubonibus ajebam superserni, aut substitui possunt. Radix cynoglossæ a nonnullis Authoribus tanquam specificum ad carbunculos medicamentum laudatur.

Non raro convenit emollientibus addere antiseptica, acetum, fermentum panis, scordium, rutam, alliariam, ubi videlicet dolor abs levamine remittit, & humores ex virium impotentia potius, quam ex nimio motu, impactuve stagnare videntur. Sic minitanti corruptelæ occurrimus, & quandam in parte adfecta irritationem ciemus, eo minus nocituram, quod virium præsens status ab intus congrue stimulari postulet. Diemerbrœckius pultem emollientibus, antisepticisque constantem ad carbunculos quidem universim commendat, at in proposito casu specialiter convenientem. Ejus compositionem vide apud Authorem lib. 3. de peste cap. 13.

His aliisque, quæ in eundem finem parari, & applicari queunt, remediis escharæ quoque prospicitur, utpote quæ laxa servatur, nimiaque ejusdem exsiccatio, contractioque impeditur, secus enim fibræ vivæ carni cohærentes inflammationem peripheriæ augerent, siderationemque ultra, quam metastasis exigit, pro-

pagaret. Ubi eschara ad notabilem molem & amplitudinem excreverat, solebamus eandem scalpello sulcare, ut nimirum vasa subjecta adhuc viva pressione liberarentur, & facilius a mortuis abscinderentur. Eadem operatio subinde aliquoties iterabatur, prout videlicet eschara novam crassitiem adipiscebatur.

Carnis vivæ læsio solicite vitanda est, dolorem enim, & inflammationem exacerbaret.

Porro animadversione dignum est, carbunculi escharam, longe rarissime, nisi fors insolitæ causæ accesserint, in tabum diffluere. Hinc non eam generaliter loquendo, quam Gangrenæ vulgaris eschara poscit solicitudinem & antisepticorum applicationem, non nocebit tamen, si sulcis artefactis ejus virtutis liquor infundatur, dum interim vivæ, quæ circumjacet, carni per idonea medicamenta consulitur. Cavendum tamen, ne nimia arefactione, contractioneque vivæ carni cohærentibus fibris vim, & ægro dolorem inferat.

Ubi ex phlegmonis, fiderationisque stato progressu, dolore, ardoreque cum euphoria desinente, aut saltem valde imminuto naturam circa separationem mortui occupari colligitur, haud adeo emollientibus datur locus, quam leniter roborantibus; juvat enim vasa viva firmari, & ipsam escharam paululum abs ulla tamen violentia contrahi. Emplastra saturnina, ut album coctum vel de minio, unguentum album

ſimplex, aut & pro ratione camphoratum ut plurimum conveniunt. Si tamen viva caro juſto laxior, pallidiorque apparet, ſi liquor, qui inter eſcharam, & carnem vivam adfluit, nimis tenuis, dilutus, & fere aquoſus eſt, proinde ſeparatio ſegnius procedit, e re eſt, languentem humorum motum excitare per interna remedia, & per externa vaſis flaccidis ſtimulum, & robur addere.

Quando eſchara amplior fibris dumtaxat craſſioribus cohæret, & ceterum undequaque mobilis eſt, abſciſſione tolli debet. Nimirum Chirurgus molem mortuam ſiniſtra manu per tenaculam prehendit, & elevat, tum dextra forfice fibras reſcindit abs alio dolore, quam qui fors a diſtractione proficiſci poteſt. Si æger renuat, natura quidem opus tandem abſolvit, at tardius. Minores vero eſcharæ hæ operatione non egent, utpote quas natura bene conſtituta cito & facile ſolvere ſolet.

Ulcerum carbuncularium therapia eadem plane eſt, quæ vulgarium, nullamque parit difficultatem, quæ in his non occurrat. Si ulcus purum eſt, facile coit. Secus vero digerentibus, abſtergentibus ſubinde, & corrodentibus depurari prius debet, quam conſolidatio inſtituatur. Quod perito ſatis.

Neque enim lubet latius excurrere, meoque propoſito ſatis eſſe reor, apoſtematum peſtilentium medicationem eo perduxiſſe, quatenus

ab ea, quæ vulgarium est, recedit, aut recedere videri potest. Et quæ fors desiderantur, vel ex dictis facile intelliguntur, vel ea doctrina chirurgica repetenda sunt. Quæ suasi medicamenta, quantum licuit, ex pharmaica deprompsi in gratiam Chirurgorum, qui fors absque Medico pestiferis opitulaturi sunt. Medicis vero, metuo, ne nimis effusus fuisse videar, non possum tamen, quin de carbunculis internis pauca adjiciam.

Helmontius & unus alterve, qui pestiferorum cadavera aperuerunt, testantur se escharam, carbunculi effectum, in ventriculo reperisse, unde Diemerbrœckius concludit, alia quoque viscera eodem itidem malo infestari posse. Symptomata autem, quæ tales ægros tenuerant, referunt Authores summam anxietatem, inquietudinem, debilitatem, vomitum continuum. Atqui quum hæc ab aliis causis proficisci, & sine carbunculo existere queant, facile patet ambigua esse indicia. Dolor ardorque simpliciter infirmam dant diagnosin, talia enim mala etiam per notabilem moram nonnunquam queruntur ægri nullo sequente carbunculo, ne externo quidem. A dolore itaque ardoreque validis unum velut punctum infestantibus, dein increscentibus, & ex congruis adfecti visceris, huicque consentientium symptomatis potissimum repetenda videtur, carbunculi interni diagnosis. Verum tunc intelligimus phlegmonem sic sævire, aut eo jam processisse, ut ejus materia vix aut

en

ne vix quidem loco moveri, aut resolvi queat. Deinde natura prægresso jam debilitata morbo turbis, quas novum malum excitavit, vel plane succumbit, vel saltem largas, quales malum poscere videtur, non admittit evacuationes, puta venæ sectionem, aut catharsim. Multo minus ab antiphlogisticis, aliisque remediis sufficiens medela jure expectari potest. Si tamen eæ se offerrent circumstantiæ, quæ vel longinquam tantum darent vitæ prolongandæ spem, satius foret anceps experiri remedium, quam nullum.

CAPUT V.

Prophylaxis.

Omnes cautelæ, quas prævertendæ & avertendæ pesti, humana hucusque excogitavit, & adhibuit industria, tendunt 1. Arcendo cum infectis & suspectis consortio. 2. Miasmati in aere suspenso, aut in fomite delitescenti delendo. 3. Corpori humano contra mali insultum roborando.

Primo scopo antiquissimum & optimum fuit fuga præsidium; sed si hanc omnes indistincte, & sine ulla providentia arriperent, non solum nemo esset, qui ægris in his calamitatibus adsi-

ſteret, iique nebulonum rapinæ præda manerent; ſed etiam per eos ipſas fugientes, ſi non omnes, ſaltem per aliquot ſeminium mali in loca, quo fugiunt, transplantaretur. Invaluit itaque apud Reſpublicas bene ordinatas mos, ut tantum in ipſo peſtis exordio, & nonniſi vel inutilibus incolis, aut ſaltem, quorum opera carere poſſent, fugere permiſerint.

Ergo retinendi ſunt in loco infecto, qui jura dicant, plebem regant, congruas ſanctiones ferant, earumque obſervationi vigilent; annonam & ceteras ad vitam neceſſarias res comparent, caritatem, famemque avertant. Deinde ii opifices, quorum opera carere nequeunt, qui eodem loco retinentur. Tertio: qui animarum aut corporum curam in ſe ſuſcipiant; cultus divini miniſtri, Medici, Chirurgi, Pharmacopœi, Obſtetrices. Tandem, qui mortuos ſepeliant.

Amandandi ſunt ſine ulla mora, & mox ubi peſtis invaſit, omnes vagabundi, mendicantes, otioſi: quin immo, quantum fieri poteſt, omnes, quibus facile carere poſſunt, qui in loco infecto retinentur. Quo enim hominibus magis vacuatur, tanto quoque minus relinquitur peſti pabulum. Numquid ſatius foret, homines ſanos e ſuis ſedibus exturbare, & vel invitos periculo eripere, quam in horum gratiam ægris ex ſua ſorte adflictiſſimis, proin commiſeratione digniſſimis mortiferas inferre moleſtias?

Atqui quum ut mox monebam, periculum sit, ne lues per ipsos fugientes disseminetur, plane necessarium est, ut iis duntaxat simpliciter fugere liceat, quos ab omni suscepti miasmatis suspicione illibatos esse constat; ideo fugiendi licentiam ad ipsa pestis exordia restringi consultum est. Ubi vero malum invaluit, tunc omnes, qui alio se conferunt, methodo mox enarranda prius probandi sunt: imprimis, qui de plebe sunt homines, qui quum in compitis & plateis fere continuo versentur, facile miasma colligunt. Laudabili itaque & necessaria providentia solent loca peste infecta vigilibus circumduci, qui exitum arceant, & mali propagationem prævertant. Sed interea ipsa loca adhuc illibata, immo & integræ provinciæ suæ invigilant securitati, dum per appositos itidem vigiles a suis finibus omnes, ex loco aut provincia infecta venientes; aut nullatenus, aut saltem non prius admittunt, quam omnem exuerint suscepti miasmatis suspicionem.

In hunc finem extruuntur ædificia publica, in queis, qui ultra pergere meditantur, moram quandam explere, ibidemque illibatæ sanitatis probationem deponere adstringuntur. Ædificia hæc lazareta; mora vero quarentana appellantur; posterior quidem a numero quadraginta dierum, quorum intervallum primi institutores pariundæ de sanitate probandorum certitudini necesse esse duxerunt.

Utut vero hoc institutum insigni sane sese distinxerit emolumento, eique integræ provinciæ, & regna suam a peste immunitatem sæpe acceptam retulerint, & adhucdum referant, frequens tamen meditatio mihi rationem nondum suggessit, cur exantlanda in lazaretis mora numero quadraginta dierum adstricta fuerit. Sive enim pestis decursum, sive miasmatis indolem considero, nihil invenio, quod satisfaciat. An forte observationes legi ansam dederunt? Asserere, aut negare non ausim, qui paucos Authores de Peste legi. Interim sequentes potius innuunt miasma pestiferum, quando ex uno loco in alium transportatur, intra multo breviorem moram in actum deduci. Sic Armenus ille Mercator, qui pestem sive in se ipso, sive, quod verosimilius, in sua supellectile in Tœmœs intulit, eo trigesimo Septembris appulit, & sexto Octobri jam ægrotabat; a quo alius Mercator duodecimo ejusdem mensis luem itidem contraxit. Qui hunc in Valachiam reduxit lazareti minister, miasma secum retulit, & jam ejus prolium una tertio ab ejus reditu die peste correpta est. Anno 1762. in pagum quendam Bannatus Temesvariensis duodecimo Novembris pestis pedem intulit, & decimo septimo ejusdem lues jam tredecim animas letho dederat. Utinam omnium pestilentiarum initia sic constarent! procul dubio ex observationibus palam fieret, aut saltem erui posset longitudo moræ, intra quam miasma se-

dem mutans sese exserere soleat. Verum circa nullum morbum veræ sidæque observationes magis desunt, quam circa pestem.

Ostendi capite secundo, virus pestiferum per venarum resorbentium oscula sese in corpus humanum insinuare, humoribus misceri, cum iisdem circumduci; tandem cum materia perspirabili, ceu vehiculo educi sine noxa, in illis hominibus, qui in atmosphæra venenosa sani vivunt. An ergo quadraginta dierum mora requiritur, ut tales homines, siquidem ab infectis, & suspectis recedant, susceptum, & in ipsorum corporibus hospitans miasma tam perfecte, & tam secure exuant, ut neque ipsi peste dein corripi, neque eandem aliis communicare queant? Profecto, utut mora, quam virus pestiferum in tali homine sano, ceteroquin manente, trahere queat, accurate & velut ad horam definiri non possit, eam tamen quadraginta diebus multo breviorem esse oportere, evincunt sequentia. Ago autem de homine tantum, nulla habita vestium, aut supellectilis, qua tegitur, ratione; de quibus postea dicam.

1. Homo sanus per nova quotidie restauratur alimenta, quæ in assumentis substantiam intra paucum tempus convertuntur. Dodartius observavit sedecim uncias missi sanguinis, in homine non debilitato, quinque dierum spatio restitui. Qui ex morbo reconvalescunt, brevi itidem vires resumere solent.

2. Superflua, & nutritioni inepta recrementa intra ſat breve intervallum per alvum, urinam, & perſpirationem inſenſibilem excernuntur; Sanctorius obſervavit, ſi unica die ob aliquod erratum libra perſpirationis retineatur, naturam triduo ſolitam eſſe, illud retentum inſenſibiliter evacuare.

Sect. 1 ma Aphor. 73.

3. Qui ulcus, aut vulnus gerunt, ſi quid acre, aut digeſtu difficile aſſumunt, noxam in loco affecto, plerumque intra nychthemeri ſpatium ſentiunt.

4. Sulphur, & allium ingeſta intra haud adeo longam moram materiem perſpirabilem ſuo inficiunt odore; qui itidem non adeo diu poſt evaneſcit, ſi, qui aſſumpſit, abſtineat, & veſtes, quas geſſit, mutet.

Neque ullam conſiderationem meretur, quod nonnulli ex miaſmate venereo, & canis rabidi ſumunt argumentum; nam hæc, eorumque actio a peſtifero toto cœlo diſcrepant. 1. Hoc adeo ſubtile eſt, ut aerem inficiat, in eodem ſuſpenſum hæreat, & ex eo ceu vehiculo in exiliſſima venarum oſcula penetret. Nullo autem experimento conſtat, homines ſolo aere medio luem veneream, aut rabiem caninam contraxiſſe. 2. Virus venereum & canis rabidi partis affectæ humores primo tantum vitiant, a quibus ſerius aut ocyus reliqua humorum maſſa tandem depravatur: peſtiferi vero actio ſeſe in ſolida ſtatim exſerit, & morbum totius corporis primo

ſuo inſultu creat. 3. Neque miaſma venereum, neque rabidi canis tam facile, & tam feliciter e corpore humano ejiciuntur; ſicut peſtiferum, etiam ubi jam agit, ejici ipſa peſtis curatio demonſtrat.

Patet ergo ad oculum, quam inepte virus venereum, & canis rabidi in caſu ſubſtracto peſtifero æquiparentur; ſane ſi ſalutis publicæ integritas & conſervatio ab iis, quos miaſmatis peſtiferi ſuſpectos habemus, tam diuturnam exigeret probationem, quanta eſt mora, quam miaſma venereum, & rabidi canis in homine ſine notabili ſanitatis jactura deliteſcere compertum eſt, nec tres, nec plures menſes, immo nec integer annus ſufficientem parerent ſecuritatem, ut, qui ſe peſtiferorum contaminaverint uſu, ſine periculi metu reſtituerentur ſocietati, quam quidem ſequelam nemo facile admittet.

Interim valde ſuſpicor, an non Diemerbrœckii authoritas protelandæ in lazaretis probationis occaſionem dederit. Is adducit in hiſtoriarum, quas ſuo tractatui de peſte adjunxit, centeſima tertia exemplum nobiliſſimi viri, „qui
„ ſorore & fratre peſte extinctis itidem conta-
„ gium hauſerat, & modo de gravativo capitis
„ dolore, modo de totius corporis laſſitudine,
„ modo de debilitate corporis, modo de inap-
„ petentia, aliisque ſimilibus malis, & fere
„ ſemper de cordis anxietate tres menſes con-
„ queſtus erat; ſuo (Diembrœckii) ſuaſu
„ decem ſeptimanas relictis omnibus rebus

„ ſuſpectis aerem mutaverat, in locum ſa-
„ num ſe contulerat, & ibidem antidotorum
„ præſervantium uſum nunquam intermiſerat,
„ tandem quum eadem ſymptomata increſcerent
„ ad ſe (Diemerbrœckium) reverſus, aſſum-
„ pto uno alterove alexipharmaco, peſtilente
„ correptus fuit bubone, qui primo biduo ali-
„ quantum adauctus absque maturatione eva-
„ nuit. Æger tamen ventriculum, contuber-
„ nio venenati hoſtis debilitatum diu retinuit,
„ tandem duobus vomitoriis, & aliis medica-
„ mentis congruis in conſuetum ſanitatis ſtatum
„ reſtitutus eſt „. Notat dein Author, hunc ægrum toto, quo venenum in copore latuit tempore, uſque ad perfectam ſanationem nulla febre manifeſta correptum fuiſſe.

Veneror authorem, & ejus fidem, vix tamen me temperare poſſum, quin valde dubitem, an rite obſervaverit, & ſymptomata miaſmati peſtifero non adſcripſerit, quæ cauſis vulgaribus debebantur. Certe omnis, qui ejus librum tertium & quartum revolverit, facile videbit, eundem miaſmati multa tribuiſſe, quorum id cauſa non erat. Verum & plurima in hoc caſu incurrunt, fidem pene ſuperantia. 1. Æger tres menſes integros miaſma peſtiferum actuoſum circumgerebat, quod continuus antidotorum uſus nec delere nec expellere potuit. 2. Miaſma gravia periculoſaque creat, & reproducit ſymptomata, nec ægrum interimit, ſed mitiſſimam in-

fert pestem. 3. Bubo, indubium pestis indicium, non prodit in loco sano, sed tantum, postquam æger eo reversus est, ubi miasma contraxerat. 4. Æger miasma circumferens neminem ne e domesticis quidem inficit, id enim atulisset pro sua opinione Diemerbroeckius, utpote, qui ex communicato contagio invictissimum diuturnæ miasmatis moræ habuisset argumentum.

Quidquid sit, etiamsi gratis admisero, miasma pestiferum in præfato viro recensitas turbas excitasse, & tandem in veram pestem erupisse, ne quidquam tamen inde nervantur, multo minus evertuntur, quas pro citiore miasmatis exterminatione supra attuli rationes, utpote quæ de homine agunt, qui postquam ab infectis recessit, omni dote sanus manet, vir autem ille, de quo Diemerbroeckius, ut sponte patet, si non manifesta, saltem suspecta, si simul attendantur rerum circumstantiæ, miasmatis agentis indicia semper circumtulit.

Neque etiam me movet Sennertus, qui testatur, homines ab infectis, relicta domi omni supellectile suspecta, in tutiora loca digressos, nihilominus post aliquod temporis intervallum, idque circa novilunium, peste correptos fuisse, nam quum lubens admittam, evenire posse, ut miasma e corpore, quod illud contraxit, intra unum alterumve diem non exspiret, vero simillimum est, tales homines id adhuc in se portasse, dum novas vestes indue- (Lib. 6. de morbis occult. Part. C. 3.)

runt, idemque proin has infeciſſe, a quibus tandem ceu fomite peſtem contraxerint.

Quemadmodum ergo omnia, quæ mihi adverſari prima fronte videbantur, in rem meam potius facere, quam officere æquus æſtimator facile videt: ita naturæ ſibi conſulentis, virusque peſtiferum verſus corporis ſuperficiem rejicere conantis ſolicitudo, ipſius miaſmatis, quatenus nobis ex effectis innoteſcit, indoles, ſubtilitasque, jugis materiæ perſpirabilis in homine ſano effluxus, evincere omnino videntur, id ipſum virus in ſano ceterum corpore intra ſat breve tempus egredi debere credo, ut minimum intra ſeptem dies.

Quum vero teſte Diemerbroeckio graves Medici Hieronymus Mercurialis, Ioannes Antonius Saracenus, Andreas Ciſalpinus, Mathias Untzerus, Ioannes Morellus, aliique plures, quos ſi nanciſci potuiſſem, lubentiſſime legiſſem, hanc meam ſententiam tuiti fuerint; eorum vero argumenta, meis forte validiora apud providos Magiſtratus tanti ponderis haud eſſe inventa fuerint, ut a ſtatuta lazaretorum mora recederent, eamque abbreviarent; non is quoque eſſe volo, qui contendam, multo minus in me recipiam, eum hominem, qui ab infectis ſimpliciter recedit, etiamſi veſtes mutaverit, poſt ſeptimum a receſſu diem humanæ ſocietati reſtituendum eſſe. Verum quæ hucuſque in medium adduxi, dicendis pondus addunt, & viam pandunt ad depromendam ſtabiliendamque proba-

tionem hactenus usitata operosiorem quidem, at simul breviorem, & ni me mens fallit, securiorem.

Lazaretorum institutio, mora ibidem explenda, & ejusdem finis supponunt, miasma pestiferum iners in corpore humano latere, & ex eodem expirare posse, & licet ita esse observata non demonstrarent, ille tamen id jam admittit, qui in lazaretorum instituto aliquam pro Republica utilitatem agnoscit. Verum & ipsa pestis curatio, ut supra innui, & postea magis patebit, evincit miasma pestiferum actuosum, jamque suam exserens vim, intra paucas horas per apta, & oportuno exhibita remedia e corpore eliminari. Id vero tanto facilius, certius & ocius obtinetur, quando vis vitæ integra, aut saltem haud insigniter labefacta est, nullumque se aliud opponit ejusdem evectioni obstaculum. Atqui in homine ab infectis sano, ut supponimus, recedente nec in solidis, nec in fluidis, nec in horum motu ullus obex, qui miasmati educendo, subtilissimum quum sit, & resistat, assignari, aut adpingi potest, alias enim jam pestis esset; ergo quemadmodum statim, atque phænomena ejusdem præsentiam manifestant, id mox expellere nitimur; ita ipsa suggerit ratio, ut in homine nondum ægro, fors tamen in morbum lapsuro, eadem ipsa auxilia administremus, quorum ope ægrum prompte cito restitui comperimus, talem-

que hominem adhuc ſanum a periculo, & periculi metu vindicemus.

Numquid Medici jam inde a priſcis temporibus nullum non lapidem moverunt, ut miaſma rabiei caninæ ex homine morſo quantocius exturbarent, eundemque in tuto collocarent? Unde ergo circa miaſma peſtiferum tanta incuria, & ſegnities; an ergo ea auxilia, quæ actuoſum ex homine jam ægroto propellunt, idem ipſum virus adhuc iners in homine ceterum ſano eliminare non valebunt?

Quum itaque diaphoreſis, leniſſimi ſudoris æmula in homine, quem miaſma jam adfligit, optimum ſorciatur effectum, optima quoque homines, quos miaſmatis ſuſcepti ſuſpectos habemus, probandi, virusque diſpellendi ratio erit talis diaphoreſeos excitatio. Ad hanc autem vulgatiſſima remedia ſufficiunt. Infuſum theæ vulgaris, vel herbarum, corticum, ſeminum, radicum aromaticorum cum aceto, ſucco limonum, cremore tartari, ſaccharo melleve edulcoratum: jura carnium, decoctum hordei, ſerum lactis, cum vino, aceto, ſucco limonum, ad cyathum unum alterumve primum pota, dein interpolatim ſub leni deambulatione continuata optatum dabunt effectum. Theriaca andromachi, quam harum & vicinarum terrarum incolæ amant, & cui plurimum virtutis tribuunt, idem præſtabit tanto commodius quidem, ſi duo tresve cyathi

cujuſdam infuſi, aut decocti calide ſuperpotentur.

Aliud non minus idoneum, & efficax auxilium pollicentur balnea; aqua ſimplex tepida cutis ſordes, quæ forte miaſmate prægnant, abſtergit, venarum oſcula reſerat, in eadem ſe ingerit, humores diluit, verſus laxatam cutis ſuperficem allicit; ſicque corpus ad diapnoen diſponit; tanto certius ſecuturam, ſi ante, intra, & poſt balneationem juſcula miti aromate ditia, ſerum lactis cum pauxillo vini, infuſa herbarum aromaticarum exhibeantur.

Quantum boni ab hac methodo expectari debeat, oſtendit ſequens hiſtoria.

Ultra lazaretum Terzpurg nomine, ad ipſa Valachiæ confinia habitant trecentæ circiter familiæ in tuguriis hinc inde ſparſis, ſpectantque quidem ad Tranſilvaniæ principatum; verum ob natas collocandarum ibidem excubiarum difficultates a conſortio cum Valachiæ incolis prohiberi non potuerunt, excluduntur tamen a Tranſylvanicis. Anno 1762. peſtis varia Valachiæ loca adflixerat, &, ut aſſolet, adventante bruma expirabat. Nihilominus, menſis Decembris die quinta, mulier, quæ in Valachia ante aliquot ſeptimanas fuerat, viginti tres annos nata cum matre ob abſentiam viri habitans, horripilatione & ſubſequo calore, pectoris oppreſſione, magna virium proſtratione correpta, intra triduum moriebatur. Ejuſdem frater ſexennis

cum iisdem symptomatis postridie, quam soror, id est sexta, æger factus, itidem intra triduum ad plures migrabat.

Præfati lazareti Chirurgus Franciscus Adamus Keinz, qui pesti Coronensi interfuit, observavit in cadavere mulieris petechias lenticulares, discretas, nigerrimas, in fratre autem nihil mutatum invenit. Atqui quum mater renuntiaret, ambos durante morbo foras prodiisse, & magnam vim frigidæ potitasse, & nondum variolas expertos esse; ceterum circumcirca toto anno nullum pestis vestigium observatum fuisset, creddidit Chirurgus has maculas esse variolas ob regiminis errorem retro pulsas. Simul tamen magnam de pestilente malo suspicionem fovebat, hinc cautus jussit domum occludi, & vigiliis muniri, monuitque vicinos, ne quis cum residua familia congressum haberet, quin sacerdoti, qui ægræ morientique mulieri adfuerat, ejusque domesticis domo exire interdixit.

Decima nona mater ipsa iisdem, sed mitioribus symptomatis oppetita, vigesima in inguine sinistro doloriferum sensit bubonis germen, quod vigesima secunda in magnitudinem juglandis excreverat.

Vigesima quarta adolescens sedecim annorum eodem morbo laborare incepit, & vigesima septima moriebatur. Cadaver nihil præter petechias exhibuit. Supererant in eadem domo puella septemdecim, & filiolus quinque annorum, queis pestis hucusque pepercerat.

Miſſus ut de his caſibus cognoſceret & renunciaret D. Bruckmann vigeſima ſeptima eadem ipſa die, qua præfatus adoleſcens mortuus erat, appulit Tertzburgum. Chirurgus poſtquam omnes incolas illius territorii viſitaverat, domum infectam ingreſſus, juſſu præfati Medici binas has proles veſtibus exuit, aqua tepida, cui aliquid aceti remixtum erat, corpora nuda deterſit (deerant enim requiſita ad balneum) novis mundisque veſtibus induit, & in aliam domum traduxit, ubi ſudoriferum electuarium aſſumpſerunt. Sicque a præſenti periculo vindicati ſunt.

Matris autem bubo increvit, maturuit, & lanceola apertus eſt, qui tandem conſolidatus ſanam reliquit.

Omnis ſupellex, quæ ægris in uſum ceſſerat, quin & tota domus infecta flammis devoranda tradita eſt, reliqua ſupellex lotione, ſulphure ceterisque ſuffimigiis mundata eſt. Atque hic omnino ſtetit malum. Tanti refert principiis obſtare!

Optime itaque ſaluti ſuſpectorum, & publicæ ſecuritati conſultum iri arbitror, ſi primo alterove, quo lazaretum ingrediuntur die, horis matutinis, ſudori vacent, deinde balneo utantur; e quo egredientes mundas veſtes induant, ſuſpectasque, ritu mox enarrando, purificandas tradant. Quarto die poterunt pro ſecuriori ſu-

dor & balneum repeti, mundatæ vestes indui, & postremum exutæ itidem purificationi subjici.

Quod si sic probati homines sani manent, nihil vetat eosdem septimo die hominum consortio restitui, ut minimum mihi dabitur viginti dierum moram cum triplici quadruplicive sudatione, balneatione, & vestium alterna mutatione omnem securitatem largituram esse, quæ hucusque a simplici, duplici, immo & triplici quarentana sine his expectari & obtineri potuit.

Alterum caput, circa quod versatur prophylaxis; est destructio nocumenti, quod miasma in aere suspensum, aut in supellectile delitescens sanis adferre potest.

Atmosphæra homini infecto circumfusa recipit, & suspensas tenet exhalationes miasmate prægnantes. Quibus terminis circumscribatur, vix definiri potest: nam videtur, qua fert ventus, protendi, qua venit, contrahi, & hinc inde instar fumi quaquaversum dispergi. Narrant subinde homines se, dum in platea ambularent, aura insolenter fœtida adflatos fuisse, & inde pestem contraxisse. Qui ergo cum infecto, aut suspecto loquitur, nunquam secundum aeris motum, sed semper oblique, aut si sub dio fit, ex adverso, ejus verba excipiat. Interim videmus eo ipso tempore, quo pestis funera densat, integras familias, quæ juxta domos infectas habitant, manere intactas. Hinc vix demonstrari pos-

posse credo, totam atmosphæram loci peste adflicti sic venenosam fieri, aut aliquando factam esse, ut eandem subeuntes, & inspirantes sine proximiori ægrorum usu, aut fomitis tractatione luem contraxerint. Ergo omni itidem vero similitudine destituitur, pestem in dissita loca per ventos translatam fuisse; quod tamen veterum nonnulli memoriæ tradiderunt. Verum, quum teste Diemerbrœckio, nullam haberent fomitis notitiam, pronum fuit, ut aeri malum adscriberent, quod verius a fomite repetendum erat.

Profecto videmus loca infectis vicina ab omni labe immunia persistere, simodo omnem usum, & necessitudinem cum infectis vitaverint. Urbs Corona, quæ a Valachorum suburbio tercentis ad summum passibus disjungitur, & inde per montium angustias ventum a meridie flantem excipit, fere illibata mansit, & mansisset prorsus, nisi seminium pestis accepisset tunc, quando pestem non metuebat.

Videntur itaque exhalationes noxiæ, ubi liberum & patulum aerem nanciscuntur, in minimas partes solvi, sejungi, dispergi, dissipari, forte etiam tam alte in aera attoli, ut pesti alibi excitandæ prorsus fiant impares.

Insigne ergo expectaverunt Veteres a motu, & renovatione aeris in locis infectis, & apud ægros emolumentum. Et in hunc scopum per plateas, vicos, & compita, & prope ægrotantes ignem accendisse, & ligna odorifera combus-

fiſſe leguntur; videlicet ut rarefactioni motuique, quem ignis aeri conciliat, odoris ſuavitatem addendo tanto efficacius noxium in aere ſuſpenſum corrigerent, obvolverent, immutarent, & diſſiparent. Conducet etiam, ſi circum locum infectum, vel etiam in ipſo tormenta, vel bombardæ explodantur. Id tamen iis nocere poteſt, quorum aures fragor vehementer offendit. Nam tremor & terror, quem hi experiuntur, poteſt miaſma excitare, ſi quod forte jam in corpore lateret.

In noſocomiis, & apud privatos adhibui, & ſuaſi lignum juniperinum, cujus odor fere ab omnibus fertur. Abſtinui a fœtidis, quæ plurimis, immo fere omnibus moleſtiam creant, imprimis mulieribus hyſtericis, & viris hypochondriacis.

Interim ſi ſunt, qui his delectantur, credo conſuetudini & idioſyncraſiæ in domibus privatis aliquid tribuendum. In noſocomiis vero non eſt, quod uni alterive potior pars poſtponatur.

Quadruplici ratione miaſma rebus communicatur. 1. Ex homine peſte laborante. 2. Ex homine ſano quidem, at miaſma exhalante. 3. Ex aere ceu vehiculo peſtiferis halitibus prægnante. 4. Ex fomite, cui res munda applicatur, aut immiſcetur.

Quamdiu autem miaſma in fomite perſeveret integris viribus? Si cauſarum id deſtruentium diſſipantiumve poteſtati, & actioni ſubtra-

hitur per menses, annos, forte & sæcula; profecto nihil periculosius est, quam res miasmate fœtas recondere. Sennertus, & alii adferunt exempla resuscitatæ pestis, ubi similem supellectilem continentes cistæ recludebantur.

Si vero res infectæ, sic explicantur, ut aer liber easdem secundum omnes superficies pervadere possit, tollitur intra sat breve tempus noxa. Aer enim mox densus, mox rarus, mox gravis, mox levis, proin nunquam quiescens, corporum superficies adlambit, quin in intima se insinuat, vapores imbibit, separat, movet, dissipat. Ei obsecundant venti, radii solares, & inde excitatus calor.

Ars ignem, lotiones, & suffimenta in eosdem usus applicat. Ignis omnia lustrat, penetrat, expandit, referat, dividit, solvit, movet. Hinc ab omni ævo delendo miasmati aliisque noxiis adhibitus fuit.

Lotiones perficiuntur aqua, hæc vero coagula solvit, sordes abstergit, dividit, diluit, aufert.

Suffimentis materiem præbere solent oleo & spiritu turgentes substantiæ, quæ ignis ope reseratæ in texturam suffitorum se penetrant, suo oleo adhærens peregrinum inviscant forte, & immutant.

Qui itaque aeris, ignis, aquæ & suffimentorum vires junxerit, omne præstabit, quod natura delendo miasmati revelavit, & ars hucusque excogitare potuit; erit que purificatio tanto

perfectior, & fecurior, quo plura ex his, & quo eadem fæpius rebus infectis, fufpectifve adplicata fuerint.

1. Quæ lotionem ferunt, calenti cinerum lixivio, aut aquæ fimplici immergantur, baculo fæpius commoveantur, eademque operatio, mutata aqua, bis terve, aut fæpius repetatur, laventur more confueto in ultima, ficcentur aere libero, &, fi fieri poteft, radiis folaribus patente. Siccata fuffiantur flamma, aut fumo cujusdam refinofæ fubftantiæ, cujus odor placet, eoque optime impraegnentur; dein recondantur. Si quis has operationes prolongare, aut iterare geftit, non renitar.

Huic purgationi præprimis idonea funt lintea: tamen fequens methodus in iisdem lotioni præmitti poteft.

2 Quæ fine damno lavari nequeunt, primo fumo fulphuris flagrantis, aut fi odor delicatulos offendat, pulveris pyrii, vel quod idem fere eft, mixti ex fulphure, nitro, & carbonibus pulveratis penetrentur intra unam alteramve horam. Tunc luculento igne, quantum quidem fine ambuftione fieri poteft, calefiant in utraque fuperficie, fufpendantur dein in loco aere perflato, vel & radiis folaribus, fi commodum eft, aliquot dies, quibus exactis, repeti poteft fulphuris fuffitio & ventilatio, poftquam tandem alio odore grato penetrentur.

Ad hanc suffituum operationem optimum erit, cistam e ligno parari, ejus amplitudinis, quæ rerum suffiendarum capax sit, & intra quam ad debitam a fundo distantiam firmetur crates, quæ suffienda sustineat. In latere prope fundum esto portula, per quam furnulus indi possit, cum prunis ardentibus, quibus tigillum superponatur, & in quod dum canduerit, sulphur pulveratum ad unam alteramve unciam, partitis dosibus, successive injiciatur, ita ut flammam concipiat. Alii autem suffitus ex ligno, baccisve juniperi, myrrha, thure, succino &c. simpliciter prunis injiciuntur. Operculum cistæ, ut vulgarium, supremo latere affixum claudi, & aperiri queat, ut supellex purificanda intromittatur, & educatur. Abs re non erit, si in ipso operculo tria quatuorve foramina præsto sint, claudenda sub suffitione, ea finita, aperienda, ut nempe acerrimus sulphuris accensi vapor in auras facessat, & supellectilem educenti nocere nequeat.

3. Supellex, quæ nec aquam, nec sulphuris fumum patitur, velut vestes auro argentove fimbriatæ, aut sericeæ subtilius coloratæ, calefactione, ventilatione, tenuique fumo lignorum aromaticorum purganda erit. Si vero plane nullum ferat fumum, haud inutile erit plicis herbas suavis odoris interserere, sic aer etiam tanto liberius ejusdem superficies pervadet.

Hic vero apparatus, tum quo ad frequentiam, tum quoad moram intendi, & remitti debet, quanto major minorve fuerit miasmatis latentis suspicio, & metuendum inde periculum. Ad hoc autem definiendum considerare oportet. 1. Rei suspectæ usum, quo plus minusve inquinatur. Ita supellex, qua peste infectus vestitur, & operitur, facilius excipit, & pertinacius retinet, quam quæ in eodem conclavi simpliciter asservatur. 2. Majorem minoremve, quam res quæpiam habet noxias exhalationes recipiendi, fovendique aptitudinem. Supellex pellicea, lanea, gossypina præ linea ceteris paribus, majori periculo subjacet. 3. Ad purgationem, cujus supellex capax est, perfectiorem, imperfectioremve. Sic lintea, lanea, linea, cannabina, facilius & ocyus miasmate exuuntur, quam pellicea.

Ad hanc normam possent supellectilia in varias classes distribui, & singulis propria purificationis methodus & mora adscribi.

Eo itaque tradita hactenus doctrina collimat, ut multiplicata sæpeque repetita aeris, aquæ, ignis suffituum ad res infectas, aut suspectas applicatione citius tutiusque dissipetur, aut deleatur miasma pestiferum, quam a solo fere, eoque longo temporis intervallo hucusque expectatum fuit.

Merces quod attinet, nonnullæ lotione, aut saltem exacta ventilatione purificari queunt;

in genere tamen non æque fuſpectæ ſunt, ut prima fronte apparet. Ago vero de iis potiſſimum, quæ ex turcico imperio huc advehuntur. Eas tum in collectione, præparatione, coacervatione, tranſportatione multifariam tractant homines. His vero laboribus peſte laborantes minus apti ſunt, deinde rariſſime in habitaculis hominum, ſed in locis ſemotis, aerique perviis aſſervantur. Tandem intra tranſvectionis intervallum, potiſſimum ſi terra fiat, multipliciter ventillantur, dum hic curribus imponuntur, ibi eximuntur, & ſæpe ſat diu in eodem manent loco.

Quas quidem rationes, ſi minus valere quis exiſtimet, non poſſum aſſequi, qui fiat, ut peſtis, quotieſcunque eas terras occupat, unde goſſypium advehitur, in hanc & vicinas, tum mari mediterraneo adjacentes, & ceteras cultioris Europæ regiones non inferatur.

Goſſypium in Græcia & Macedonia ſic inſaccant, tres circiter libras convolvunt in glomeres, & ſtringunt vinculis; injiciunt in ſaccum ſuprema ora apertaque tuto ſuſpenſum. Vir in ſacco ſtans eos adaptat, dein pro ſua vi proterit, huncque laborem ad ſingula ſtrata continuat, donec tandem ſaccus impleatur, qui valde firmam, aerique impenetrabilem acquirit duritiem, ut vulgo notum eſt.

Probatio vero, quæ in lazaretis circa goſſypium inſtituitur, hæc eſt: ſacci in utroque la-

tere ſecundum longitudinem diſcinduntur. Miniſtri quotidie nuda brachia in ſciſſuras intrudunt, toto quarentanæ tempore, quo exacto, ſi miniſtris nihil ſiniſtri acciderit, purum cenſetur goſſypium; evehitur ex lazareto, & publico traditur uſui.

Nemo vero non videt, hacce ratione exiguam tantum, eamque ſolum, quæ ſciſſuris adſtat, aut ſaltem, quæ ſacco contigua eſt, aeri exponi goſſypii ſuperficiem. Etenim hanc ipſam ſolummodo contingunt miniſtrorum brachia, utpote quæ nec intimos glomeres attingere, nec in eoſdem penetrare poſſunt. Ergò maxima pars goſſypii nec ventilatur, nec a Miniſtris probantibus attingitur. Accedit, quod brachia nuda, vix aut ne vix quidem apta videantur, ut miaſma, ſi quod latuerit, calore excitare, & recipere queant. Tandem quum plures homines inſaccando goſſypio operam ſuam exhibeant, pro cæco fortunæ caſu reputandum foret; ſi probantis miniſtri brachia eos ipſos tangerent, quos forte peſtifer quidam inſaccator pertractaſſet.

Ea itaque, quæ circa goſſypium in lazaretis inſtituitur purificatio, vel nihil omnino vel certe parum ad avertendam peſtem confert; veroſimiliusque eſt, non ideo peſtilentiam nationibus cum imperio turcico mercaturam excercentibus ex goſſypio non inferri, quia in lazaretis purificatur, ſed potius, quia jam purum ex ſolo natali advehitur.

Quidquid ſit, tantæ ſe opponunt accuratæ goſſypii purificationi difficultates, ut vulgata perfectior, vix effectui mancipari queat: ventilatio enim, quæ ceterum facillima eſt, in goſſypio ſaccis concluſo, ut dixi, locum non habet; ad hanc autem obtinendam oporteret ſaccos evacuare, glomeres ſolvere, diſcerpere, diſcerptos aeri expandere; quantum vero laborum, quot miniſtros, quam ampla ædificia, quam enormes ſumptus hæc manipulatio exigeret, aut poſt ſe traheret, nemo non videt.

Jam vero, ſi in re ſanitatis ex analogia ratiocinari, & concludere licet; quum goſſypium vulgata methodo purificatum poſt ſimplicem, aut duplicem quarentanam dimittatur; numquid ex dictis ſequitur, alias merces, quæ exacte ventilari, aut perfectius mundari ſe ſinunt, intra multo breviorem moram dimitti poſſe?

Quæ hucusque dicta ſunt, vel maxime quidem ad peſtem avertendam ſpectant; facile tamen intelligitur, quanto cum commodo, ſecuritate & compendio, præfata hominum probandorum, & rerum purgandarum methodus in loco peſte infecto introduceretur.

Solent, graſſante peſte, ſingulæ domus, aut ſaltem conclavia, ubi aliquis mortuus, aut reſtitutus, ægerve in noſocomium delatus fuerit, mox occludi, ſuperſtites ſani, immo & morbo functi in lazaretum publicum, aut ſaltem in aliud

conclave transferri, ibidemque quarentanam exantlaturi, includi.

In restitutis hæc præcautio inutilis esse videtur; nam morbus miasma expellere omnino debuit, & siquidem, quod tamen rarum est, quidam peste functus bis inficitur, non a residuo miasmate, sed a novo, quod aliunde accipit, pestem secundo contrahit. Optima certe deleti, fugatique e corpore miasmatis est perfectæ sanitatis recuperatio. Possent itaque restituti, postquam bis, terve balneo usi fuerint, mundasque vestes induerint, sine periculo humanæ reddi societati.

Qui autem adhuc sani ab infectis recedunt, & in lazareta simpliciter traducuntur, facile tum in proprio corpore, tum in vestibus miasma secum adferunt: unde ibidem & ipsi peste corripi, & ceteros inficere, & proin saltem his illud creare possunt incommodum, ut quarentanam denuo inchoare debeant. Ita ex lazareto nostro suburbano mihi compertum est, quatuor homines, qui illuc tanquam suspecti traducti fuerant, peste correptos fuisse, sicque suam, & contubernalium probationem reddidisse irritam.

Quibus quidem infortuniis, incommodisque procul dubio obviam itum fuisset, si lazaretum ingressuri probationem enarratam in se, & in suis vestibus subiissent.

Domibus, & conclavibus infectis apprime convenit purgatio per fumum sulphuris; si vide-

licet libra media aut integra pro varia loci mundandi capacitate ibidem accendatur: quod commodissime fit, si ignitabuli, cui lamina ferrea supponatur, auxilio, in patina argillacea sulphur liquefiat, & eo usque incalescat, dum flammam concipiat, moxque minister cito aufugiat, januamque post se claudat. Maneat conclave, tres, quatuorve dies clausum, quibus elapsis, eadem operatio, si lubet, repeti potest. Tandem apertis januis & fenestris congerantur stramina, tribona, quisquiliæ profundæ scrobi infodiendæ, terraque operiendæ, aut, si satius videtur, comburendæ.

Combustio supellectilis infectæ, ejus potissimum, quæ ægris in usum cedit, peste in quodam loco grassante providis Magistratibus arrisit, quia sic miasma cum fomite destruitur. Eam ex hac ratione nec ego improbo; modo fiat in campo aperto & semoto, ministrique ventum sic observent, ut fumum, præsertim in ipso combustionis initio, non inspirent. Sic ministrum purificationis, qui imprudens adverso fumo se exposuerat, ex combustione supellectilis infectæ pestem domum retulisse vidimus.

Alia vero sunt rationum momenta, quæ combustionem supellectilis infectæ dissuadent, emolumentumque, quod inde prima fronte speratur, reddunt irritum. Pestis maxime in plebem grassatur, tum quia potior est pars hominum; tum quia ditiores in alia loca receden do,

aut ſaltem hominum infectorum congreſſus vitando, ſuæ ſaluti conſulere norunt. Ergo damnum comburendæ ſupellectilis pauperes maxime tangit, qui proin illud vel maxime ſentiunt, & graviſſime patiuntur. Neque tale hominum genus publicam ſalutem multum pendit, ubi hæc privatæ utilitati detrahit, & jacturam infert; multo minus damnorum refuſio ab ærario publico exigi poteſt; utpote, quod in his calamitatibus aliis expenſis plus quam ſatis gravari ſoleat. Hinc dum prævident mortuorum hæredes, aut ipſi reconvaleſcentes, ſupellectilem, cui decubuerunt, ignibus traditum iri, nihil non moliuntur, ut eam abſcondant, alio transferant, ſubinde etiam divendant. Ita malum, quod combuſtio ſuccidere intendit, latius propagatur. Accedit infanda nequitia & avaritia eorum, qui Magiſtratuum authoritate ad exigendas res combuſtas conſtituuntur; ægre enim inter eos, qui tale munus in ſe ſuſcipiunt, vel unum reperias bonorum morum & probatæ fidei: ut peſtis homines, ſic illi hominum bona deprædantur, tribona comburunt, res bonas ſervant, clam diſtrahunt, & ſimul peſtem. Denique lex combuſtionis incommodum parere nata eſt, quod curationem pervertere facile poteſt, dum videlicet, vel ægri ipſi ſibi, vel eorum propinqui iisdem neceſſariam tegendo corpori ſupellectilem non indulgent ex metu, ne poſtea comburatur.

Siquidem vero, quas ex combuſtione metuo, ſequelæ eis, quæ eandem ſuadent, rationibus haud præponderare videantur; credo ſaltem eandem ad omnem ſupellectilem, quæ infectis uſui ceſſerit, haud extendendam eſſe; ſed tantum ad eam, quæ minus perfectam admittit purificationem, velut ſunt plumæ pulvinaribus & culcitris contentæ. Omnia vero ſupellectilia, ut & horum materia, quæ ſe lavari, ventilari & ſuffiri ſinunt, non eſt, cur comburantur. Sic ſaltem minus erit, quod inferetur miſeris, quos peſtis jam ſatis adfligit, damnum.

Tandem in ipſo peſtis in quemdam locum ingreſſu, ſi aliunde certi eſſe queamus, ex ſupellectile, quæ primis infectis in uſu fuerit, nihil ſemotum, aliove diſtractum fuiſſe, combuſtio plus promittit ſecuritatis, quam ubi malum jam invaluit. Ratio hujus diſcriminis facile ex dictis intelligitur.

Quæ quidem omnia non vanæ, quæ in re tam gravi damnandum facinus eſſet, innovandi, aut uſitatas ad noſtra uſque tempora cautelas perſtringendi prurigini, ſed utilitatis ſecuritatisque publicæ augendæ, firmandæque, quod me tenet, deſiderio, fore ut adſcribantur, confido. Profiteor cum omnibus bonis publicæ ſaluti, & tanti, ut peſtis eſt, mali amolitioni, extinctionive nullam aliam, communis privatave ſit, utilitatem anteponendam eſſe. Videndum

tamen, ut quas pro obtinendo ſcopo ſancimus ſanctiones, ſic moderemur, ne nimia ſeveritas easdem reddat irritas, provocetque, quod avertere ſatagimus, malum.

Non eſt itaque exiſtimandum, quo diuturnior ſtatuitur hominum in lazaretis probatio, & rebus purgatio, tanto majorem inde acceſſurum ſecuritati publicæ gradum. Nam hoc ipſo, quod graviora faceſſantur mercatoribus, viatoribus, & hominibus, quos ſuſpectos habemus, incommoda, tanto ipſi acrius ſua ſtudia conatusque eo convertent, ut legi, ceterum ſalutari ſeſe ſubtrahant, & in provinciam, quam ab omni peſtis inſultu tueri intendimus, penetrent ſine ulla probatione, quæ, utut brevis ſtatuatur, ſecurior tamen ſemper erit, quam nulla. Accedit, quod peſtis in lazaretum quoddam divertens mox agnoſci, & extingui queat, clam vero in locum quemdam, ſi ſubrepſerit, procul dubio latius ſerpet, & vix prius dignoſcetur, antequam altas egerit radices, nulla poſt providentia ſuccidendas. Sic peſtis in lazaretum Tœmœſenſe, & in ſuburbium Valachorum illata eſt, at diſpari eventu. Ibi mox agnitam ſtiterunt, & extinxerunt adhibitæ opportunum cautelæ; iſthic familiam opilionum per ſemitas vetitas ingreſſorum primum aggreſſa, in conſanguineos, propinquos vicinos ſeſe diffudit, jamque late ſerpſerat, antequam agnoſceretur.

Tandem occupatur prophylaxis iis auxiliis, quæ corpus humanum munire valent adverſus luis peſtiferæ inſultus præviſos & impræviſos: priores ex dictis abunde innoteſcunt. Poſteriorum vero origo non latebit eum, qui in memoriam revocarit, quod jam capite tertio innui: videlicet eſſe homines, quibus peſtis ſic blanditur, & ſufficientes vires relinquit, ut ſanorum more per plateas, & compita circumambulent, ſanorum cœtui in templis, foris, diverſoriis & alibi ſe immiſceant, ſicque miaſma tum in toto corpore, tum in bubonibus, ſubinde in carbunculis, immo etiam in petechiis circumferant, & per exhalationes hominibus omnis periculi ſecuris communicent. Præterea ſimiles infecti, tum ſub ipſa ægritudine, tum etiam poſt eandem ob ingruentem, quæ peſtis tempore nimis frequens eſt, paupertatem & indigentiam, veſtes, aliamque ſupellectilem inquinatam divendere ſolent, unde itidem non raro peſtem emunt incauti.

Non omnes, qui ſic peſtem diſſeminant, doli aut malæ fidei accuſaverim. Quia quum videant malum in plurimis hominibus, ingentem & ſubitam ſtragem edere, vix ipſi ſibi in animum inducere poſſunt, id cum tanto robore, quale quidem ſe poſſidere conſcii ſunt, conſiſtere poſſe, præprimis ſi abſuerint bubones & carbunculi. Si vero & horum præſentia conſcientiam arguerit, metus noſocomii & tum etiam amittendi, ſi forte in famulitio conſtituti ſint,

ſtipendii & alimentationis, aliæque ejuſmodi rationes prohibent, ne anguem, quem in ſinu gerunt, prodant, maluntque alios, quibuscum converſari debent, periculo ſubeſſe, quam proprio damno & incommodo eorum ſecuritati proſpicere.

Apparet ex his, quomodo fiat, ut homines peſtem horrentes, omnique ſolicitudine infectorum & ſuſpectorum conſortia fugere, ſatagentes tamen, ubi & quando minime ſuſpicantur, miaſma ſuſcipiant, ac dein peſte corripiantur. Nemo ergo, qui locum infectum inhabitat, tutam beatitudinem ſibi facile polliceri poteſt.

Optimo itaque conſilio Magiſtratus & Medici ſuas curas junxerunt, ut pars hominum adhuc illibata in ſua ſervaretur ſanitatis integritate, omniſque ægritudinis anſa proxima & remota, quantum quidem fieri poſſet, removeretur.

Poſterior ad Magiſtratus pertinet. Prior ad Medicos: Annonæ copia, pretium, bonitas, caritatis famisque averſio, pauperum ſuſtentatio, mundities platearum, immo & domorum privatarum, amolitio ſordium, reſtrictio, quantum quidem fieri poteſt, cœtuum & conventuum publicorum, interdictio pompæ, nuptiarum & funerum, ſpectaculorum, ordo templorum, fororum, lanienarum, tabernarum, diverſoriorum frequentatione, quæ ſemper ad pauciſſimos eodem tempore reſtringenda eſt. Inhumatio mortuorum profunda, prohibitio divenditionis, alienationisque veteris ſupellectilis ejus impri-

primis, quæ miaſmati facile fomitem præbet, ſunt præterea, quæ hoc ipſo capite jam inſinuavi, præcipua, circa quæ Magiſtratuum ſollicitudo verſari debet. Qui plura deſiderat, legat librum, qui germanico idiomate ſub titulo: **Peſt-Beſchreibung und** Infections **Ordnung:** ſive Deſcriptio Peſtis, & Infectionis Norma: prodiit Viennæ Auſtriæ Anno 1727. ibi enim fuſiſſime tractantur, & recenſentur omnia, quæ, graſſante peſte, in illa metropoli peracta, & ordinata fuerunt.

Verum prophaſes morborum proximiores averruncare, & perfectiſſimam, quæ obtineri poteſt, ſanitatem in omnibus loci infecti incolis introducere, & conſervare conati ſunt Medici. In hunc ſcopum omnes, quas adverſus omnes morbos ſuggeſſit ars, regulas peſte graſſante ſingulariter ab omnibus ſanis obſervari voluerunt. Hæ vero potiſſimum circa uſum rerum non naturalium verſantur.

Dixi c. 2do. harum abuſus, imprimis inſignes ſæpiſſime miaſmati ſe inſinuandi, & vires ſuas exerendi occaſionem præbere. Jubet itaque ratio, earum rerum uſum ſic moderemus, ut neque in exceſſu peccemus, nec in defectu.

Aer ſanis & ægris conducit temperatus, ſiccus magis, quam humidus, ſæpe renovatus. Cavendum tamen a ſubita mutatione, hinc velut noſocomiorum, & ædium ventilatio utiliſſima eſt, ſic eo dirigi debet, ut lente æquabiliter

ter, & velut insensibiliter novus aer introducatur, imprimis, ubi externus frigiditate aut humiditate interno prædominatur, humiditatem nimiam tollit ignis. Ardente syrio poterit gratum induci in ædes refrigerium, si viridescentium arborum rami admittantur, si forte his nimia humiditas creatur, vitium itidem igne corrigitur.

Hoc aeris temperamentum reclusione & occlusione fenestrarum juvare, & aliquo modo obtinere possumus. Loquor autem potissimum æstate. Si nempe eas remoto sole imprimis post ortum, & ante ejusdem occasum aperiamus, reliquo tempore velorum radiis solis imperviorum ope clausas teneamus.

Auræ vespertinæ & nocturnæ captatio æstate potissimum, & autumno periculo non caret. Periculosior est cubatio sub dio.

Suffumigia sunto, quæ placent, habenda tamen semper est ratio ad qualitatem, quam aeri conciliare intendimus, odores valde penetrantes moschi, labdani, stiracis, benzoini, velut etiam florum quorundam post Diemerbroeckium dissuadeo. Caput enim tentant, cephalagiam creant, & nervosam compagem debilitant. Hinc observavit mox citatus Author: *His & odoribus assuetos citius, & magis fuisse afflictos quam alios.* Hinc patet, quid de pomis odoriferis artificiosis sentiendum.

Lib. 2. cap. 5. anno t. 9.

Ea sit cibi & potus qualitas & quantitas, quam quisque sine incommodo & noxa sumere

consuevit. Vitentur omnia alimenta, pravi succi & digestu difficilia. Quo spectant pinguia, carnes salsæ & fumo impraegnatæ, imprimis suilla tum fungi omnis generis. Inter cibos eupeptos primas tenent caro vitulina, agnina & volatilium ex genere gallinaceo Pisces fluviatiles & saxatiles. Panis bene fermentatus & coctus, non vetus. Aromatum acriorum parcus sit usus. Condimentis adhibentur optime acetum & succi acidi fructuum horæorum. Crudis temperate utendum, coctos molliores suadeo his imprimis, quibus alvus segnior est. Summatim quivis regulam Sanctorii præ oculis semper habeat: *Illa*, inquit, *cibi quantitas est saluberrima, dum a cibi corpus suis negotiis eadem agilitate vacat, ac si esset jejunium.* Sect. 3. Aphor. 36.

Potus esto aqua pura, cerevisia mollis, aut vinum multa aqua imprimis æstate temperatum. Abstinendum ab oleosis & fortibus, quæ calores excitant, & motum humorum nimis augent. Senibus tamen & frigidæ temperiei hominibus indulgeri possunt.

Pessimus mos invaluit, præsertim in hisce regionibus, ut, ubi levis subrepit ægritudo, mox ad spiritum vini aut frumenti, & ad aquas inde distillatas confugiant homines, nonnullorum quidem salute, ast etiam plurimorum damno. Damnosior multo est ebrietas. Licet Diemerbroeckius aliquorum meminerit, qui per eandem

Lib. 2. cap. 6. Annot. 15. peſtem a ſe propulſarunt. *Sed*, inquit, *non debent hujusmodi pauciſſima exempla contrariæ quotidianæ experientiæ anteponi.*

Graſſante peſte foras prodire, vacuo ventriculo inconſultum eſt, ſed leve jentaculum ab omnibus Medicis ſuadetur. Juſcula, quibus herbæ molles, acidulæ, & leviter aromaticæ incoctæ fuerunt, velut lactuca, acetoſa, chærefolium, cum aceto aut ſucco citri ad gratiam omnibus fere temperamentis conducunt. Non improbo tamen alia jentacula, quæ conſuetudo introduxit, hujus enim maxime tempore peſtis ratio habenda eſt.

Corpus in eodem exercitio, cui aſſuevit, ſervandum eſt, & ab omni exceſſu abſtinendum. Motum violentum, quies ſubita nunquam excipiat, ſed paulatim & ſenſim remittere oportet.

Inſigne & palmarium eſt adverſus peſtem præſidium affectuum animi moderatio, iis potiſſimum, qui inter ægros verſantur, ſumme neceſſaria. His omni molimine ad beatam illam æquanimitatem enitendum eſt, cui vivere & mori lucrum ſit. Eſt fortitudinis & conſtantiæ filia. Eam fulciunt ſincera, devotaque in arbitrium ſupremi numinis, in cujus manibus mors & vita conſiſtunt, fiducia, & bonæ conſcientiæ teſtimonium, eam fovent Chriſtianæ pietatis exercitia, fida amicorum converſatio, & jucunda animorum concordia: ſi vacillat, reſtaurant

haustus vini moderatus, grata, quam tabacum fumo haustum gignit narcosis, mentisque ad recreantia oblectamenta conversio.

Medicis suadeo, ut animi vires, præsertim apud ægros nunquam nimis intendant. Sed, si quid difficilius occurrit, servent domi perscrutandum & dijudicandum. Ab iis prorsus abstineant negotiis, quæ ad artem non pertinent. Politicarum dispositionum onus, quantum possunt, a se amoliantur. Nunquam se ingerant in ægrorum querelas, multo minus in rem testamentariam morientium. Quæ ex officio Primoribus, Magistratibusve renuncianda habent, breviter, clare & sincere explicent, caveantque, ne ullum offendant: si Chirurgi, aliique, in quos potestatem & imperium habent, turbulenti, aut in suo officio segnes sunt, eos potius ad Magistratus deferant, quam ut se committendo ipsi sibi irascendi ansam pariant. Horam unam alteramve, qua vacare liceat, sibi servent, & tunc, quæ quavis die observaverint, conjiciant in chartam, id postridie mane, si libuerit, relecturi.

Lassitudinis initium & consuetudo somni necessitatem & prolixitatem determinant. Levitas ad sensum post hunc nata ejus salubritatem indicat. Vigiliarum nimiarum eadem fere sunt incommoda, quæ gravium animi affectuum. Hinc a tetris somniis nonnullos pestem contraxisse Authores passim memorant.

Alvus optima eſt, quæ conſuetudini reſpondet. Si juſto ſegnior eſt, emollientibus, & humectantibus ſollicitanda eſt, quibus ſi non cedit leniſſima eccoprotica, parca doſi exhibenda ſunt.

Venæ ſectio ſolis plethoricis, & huic evacuationi aſſuetis contra peſtem prophylaxis eſt, velut enim in morbum acutum propendent, ita & in peſtem.

Diemerbroeckius catharſes & venæ ſectiones rejecit, & plurima adducit infeliciter, tum prophylaxios, tum curationis ſcopo adhibitarum exempla. Haud itaque paſſim audiendi ſunt vulgares, qui ad minimum, quem experiuntur a ſanitatis integritate, receſſum, mox venam aperiri, aut purgans ſibi exhiberi poſtulant; prætexentes, ſi quid forte miaſmatis peſtiferi hauſerint, eliminatum iri. Nam juſta eſt ex ratione metuendum, ne his evacuationibus convulſæ vires venenum, ſi quod ineſt, propulſare nequeant. Quæ quidem omnia de emeticis itidem intelligenda ſunt.

Interim ſi authoritati Medici pertinacia præponderet, ſuadeo poſt venæ ſectionem aut catharſim, talia mox exhibeantur, quæ vires recreare, & redintegrare valeant.

Magnam fonticulis cuti inuſtis præſervandi virtutem tribuerunt inſignes Medici: quorum quidam ſe neminem, qui fonticulum gereret peſte infectum, alii per paucos ſe vidiſſe perhi-

bent. Diemerbroeckius tamen non unum, sed plures cum fonticulo mortuos vidit. Ita non omnino certum est, an, qui servati sunt, suam fonticulis debuerint incolumitatem; an vero alteri causae: sine illis enim multi quoque servantur. Interim, qui antiquos gerunt, magis tuti videntur, quam, quibus recens inuruntur. Illi enim aut aetate, aut morbo plerumque fracti sunt, proin velut rite procedente fluxu morbis ceteris epidemicis minus obnoxii sunt, ita & pesti. In his vero humorum solidorumque constitutio nec tam facile, nec tam cito mutatur. Nihil itaque peculiare contra pestem habere videntur, qui lue venerea, hydrope, ulceribus antiquis, scabie tenentur. Velut enim morbis vulgaribus epidemicis affliguntur, rarissime, sic & peste. Mulieres scabie foedatas, peste correptas habuit D. Bruckmann, inter ceteras unam 22. annorum, quae cum bubonis germine in nosocomium adlata perpetuis tenebatur horripilationibus mente constans, ceterum valde debilis. Exhibita cardiaca mitem propulsarunt sudorem, quem magna anxietas excepit, & cui eodem die commortua est.

Veneris usum immodicum omnino damnavit praefatus Author; *Viri*, inquit, *minus assueti, si eandem nimis strenue excercerent, brevi post peste corripiebantur, ac cum cymba Charontis ad Elysios campos citissime deferebantur.* Hinc factum, Lib. I. cap. 5

quod plurimis ſponſis, ſecunda tertiave poſt tedam nuptialem die, funebris teda accenſa fuerit.

Nupturientes itaque ſibi optime conſulerent, ſi ſua deſideria ad lætiora tempora reſervarent.

Veſtimenta tuendæ ſanitati non contemnendum adferrent adminiculum, ſi noxis, quas aeris mutationes corporibus adferunt, horum ope prævertere conaremur. Natura & ratio dictat, ut ſub frigore corpus melius tegamus, minus in calore. Frigus autem non eſt hyemis tantum, nec calor æſtatis; ſed etiam in æſtate quidam dies ſunt ceteris frigidiores: ſub autumnum noctes, ſaltem in his regionibus, valde frigidæ. Optimum ergo foret, ut veſtitum non adeo anni tempeſtati, quam etiam aeri quotidiano accommodaremus, atque dum aer mutatur in calore & frigore, veſtes quoque mutaremus. Advertunt aliqui Authores flante aquilone plures peſte correptos eſſe. Quod videtur intelligendum, ubi hic calidiori vento ſuccedebat. Nam ille ceterum ſalubris habetur.

Suadeo itaque, præſertim illis, qui inter ægros verſantur, ut modo levius, modo gravius ſe veſtiant, prout variat aeris frigus & calor, ſic, qui ſub veſperam & noctu foras prodeunt, melius ſe cooperiant, quam interdiu.

Sanctorius ſect. 1ma. aphor. 55to. *Amictus valde oneroſi ſunt impedimento perſpirationi, quia vires debilitant.*

ibidem aphor. 113tio. *In æſtate, ſi corpus jaceat detectum, prohibetur perſpiratio: unde capitis gravitas & corporis confractio.*

Dormitio æstiva detecto corpore, vel sub dio, magna ex parte disponit ad putredinem prohibendo perspirationem. sect. 2da aphor. 36to.

Haud vanum quoque erit, si plures ejusdem sortis vestes præsto sint, ut eas mox exuant, qui in infecto aut suspecto loco fuerunt, suffiendasque tradant, dein alias induant. Quod quidem Medicis, tum qui infectos adeunt, tum etiam, qui in loco infecto vulgaribus morbis medicinam faciunt, potissimum dictum volo.

Diemerbroeckius vestes læves glaberrimas sericeas suasit iis, quibus res domi lautior est, laneas, pelliceasque rejecit. Ratio est in patulo, quæ prius dicta sunt, consideranti. Neque hoc consilium improbo, modo corpus ceteroquin debite coopertum sit.

Quæ quidem omnia, utut præstanti contra ceteros morbos præsidia, contra pestem tamen omnimode tutam nequaquam pollicentur immunitatem. Qui ea observat, non æque facile, non æque cito, non æque sæve, forte nequaquam ferietur, feriri tamen potest. Et reapse feriuntur sanissimi citra omnem in rebus non naturalibus errorem, infantes, pueri, adolescentes, juvenes, viri, senes. Deficit itaque vera prophylaxis: deficiunt auxilia, queis miasmatis applicationem impedire, applicatum ab ingressu arcere, ingressum destruere, inersve reddere valeamus.

Frustra conati sunt Medicorum Italorum nonnulli ceratis vestibus ex tela coriove hircino,

larvaque oculis vitreis, roſtroque, quod naſum & odores exciperet, prædita miasmatis ad corpus applicationem præpedire; nam 1mo. vix videtur habitum hunc tam perfecte claudi poſſe, ut aer, & quod ſecum vehit, miasma in corporis ſuperficiem, & in os penetrare non poſſit. 2do. Nemo credo facile in animum inducet odores, quos per nares attrahunt in tranſitu, tam cito miaſma deſtruere, aut iners reddere poſſe. 3tio. Periculoſum potius cenſeo talem veſtitum, quia ſudores & anxios calores utenti infert, unde fas ſit dubitare, an illis Medicis peſtis potius pepercerit, quam ægrorum miniſtris, propinquisve, qui tam ſcrupuloſam præſervationem non adhibuerint, nec adhibere potuerunt. Quid quid ſit Momum, Hyſtrionemque potius, quam Medicum decet is habitus, puſillanimitatem arguit, hominibus ipſo malo jam terrefactis imprimis imbecillæ ætati & ſequiori ſexui, immo & ipſis ægris terrorem adfert; denique ipſum Medicum reddit coram ægro mutum, aut ſi loquitur, jam corruit totum, quod a comico apparatu expectat præſidium, ut conſideranti patet.

Multo difficilius claudi poſſent viæ, per quas miaſma ſe in corpus inſinuat; videlicet omnia non in externa tantum, ſed etiam in patula aeri primarum viarum & pulmonum ſuperficiei hiantia venarum reſorbentium oſcula. Numquid ergo oleorum inunctio externa, & oleo-

forum mucilaginoforumve ufus internus huic fcopo aliquid præftare nequeunt? Si quid præftent, certe parum: nam vix videtur fic obturari poffe illa ofcula, ut homo nec faporibus, nec odoribus afficiatur, aut ut patula pulmonis, æfophagi, ventriculi, inteftinorumque fuperficies nihil ex halitibus, queis irretitur aer, reforbere valeat. Accedit, quod etiamfi id efficere valeremus, omnino metuendum fit, ne retentum intra corpus perfpirabile, & oleum feu mucilago ingefta homini non affueto morbum inferant ipfa pefte forte funeftiorem.

Ultimum, quod tutam præftaret prophylaxin, medicamentum effet, quod virus deftruere, aut corpus firmando iners reddere valeret. Utrumque effectum expectaffe videntur Medici ab illis, quæ ideo antidota, alexipharmaca appellata fuere, remediis: *Quæque corpora in naturali ftatu confervant, iisque occultam quandam qualitatem imprimunt, quæ totaliter contraria eft, & e directo repugnat veneno peftilenti.* Diemerbroeckius Lib. 2. cap. 10. Quorum quidem effectuum an vel unum præftent, merito dubitabit, qui fequentia confideraverit.

Nunquam in excogitandis præcipiendisque remediis magis fe exercuit Medicorum induftria, quam graffante pefte. Materiæ medicæ thefauros propemodum exhauferunt, abforpferuntque. Non ætates folum, fed fingularum ætatum finguli Medici fua habuerunt, & commendarunt remedia antiloimica. Unusquisque pro fuo ge-

nio nova condidit, laudavit, introduxit, oggessit: raro simplicia, sed composita, quæ dein luxuries vario modo, multifariaque forma miscuit, auxitque, & farraginem addidit farragini.

Mirari autem subit cujusvis horum remediorum in sui exordio virtutes, experientia, aut ajunt Authores & Fautores, confirmatos divinis propemodum laudibus celebratas, sensim obsolevisse, & valorem amisisse. Unde posteri ea, quæ usurpaverant, antecessores addendo detrahendove mutaverunt, aut prorsus rejecerunt, novaque prioribus substituerunt, eodem, quem antiquiora habuerant, eventu. Et quod magis deplorandum, non adhuc eo pervenit Medicorum sapientia, ut ex omnibus remediis, quorum cognitio ad nos pervenit, optimum agnoscat, quo præ ceteris standum esse ratio docuerit & experientia. Ita ipsa divitiarum ostentatio haud vanum evasit artis adversus pestem infirmitatis argumentum.

Certe nullum novimus præservans remedium, de quo jure asserere possimus, pestis furorem sævitiemque sua virtute & usu aliquatenus inhibuisse, & compescuisse. Quin immo haud læva suspicio est, an eadem hæc alexipharmaca multis hominibus non nocuerint, & pestis contrahendæ prophasin non excitaverint. Calida enim sunt pleraque, & omnibus temperiebus indiscriminatim suasa & exhibita. Ipsi Authores & Commendatores alexipharmacorum non

raro pesti succubuerunt, dum alii alexipharmaca respuentes, eidem licet expositi periculo, incolumes manserunt.

Verum etiam, si dedero, nonnullos præservativis utentes, pestis jaculis haud impetitos fuisse, non continuo argui potest, hanc immunitatem remediis deberi.

Omnes Medici agnoscunt in quibusdam hominibus certam quandam dispositionem, quæ eosdem a pestis assultu tutos constituat. In quo autem sit illa, quomodo acquiri aut conciliari possit, se ignorare fatentur. An ergo morosæ causticitatis arguendus esset, qui alexipharmacorum suorum virtutem jactantibus reponeret, eos non ab his servari, qui servantur; sed a singulari, qua donati sunt, adversus pestem dispositione? Præterea exactum regimen, & vitatio abusus in rebus non naturalibus aliquod saltem præsidium pollicetur. Cur ergo solis alexipharmacis adscribatur? Accedit non exigua, quæ contra alexipharmacorum efficaciam se offert, præjudicatio consideranti, pleraque potius ex lucri cupidine, quam ex vera firmaque scientia intrusa fuisse. Nam præcipua magno pretio comparari debuerunt, hinc solis divitibus prodesse poterant; sed quis non scit hos infectorum & suspectorum consortia fugere præ pauperibus, quos necessitas & conditio foras prodire, & inter homines cujusvis generis conversari cogit. Denique si compositiones alexi-

pharmacas, antidotalesque ad criterium rationis experientia suffultæ expendamus, nihil in ipsis inveniemus, quòd per simplicia præstare nequeamus, vixque non concludemus totam earum efficaciam a prævalente quorundam simplicium virtute pendere, reliqua prorsus inutilia esse. Ita nemo potuit demonstrare, theriacam aliud quid efficere in corpore humano, quam quod opium, & stimulantia invicem mista præstare valeant.

Gratis itaque specifica quædam adpingitur alexipharmacis sic dictis, adversus virus pestiferum efficacia, vis & actio. Et manet ignota pestis vera antidotus, & manebit forte semper, nisi aliam a Majoribus nostris ineamus viam, idoneaque adipiscendæ certitudini instituamus, & iteremus experimenta.

In simplicibus quærendam esse veram pestis antidotum demonstrat irritus, infaustusque per tot sæcula compositorum usus. Idem suadet analoga eorum, quæ habemus, paucorum quidem specificorum simplicium ratio. Profecto si opium dolores mitigat, cortex peruvianus febres fugat, mercurius miasma venereum domat, aut saltem educit, cicuta scirrhos cancrosos resolvit, quis audeat asserere humano generi adversus omnium morborum dirissimum nullam singularem medelam ab adorando ter optimo rerum Authore creatam, & concessam esse; eam fors offert in plantis, quas ceterum raras, aut etiam non ante visas

in quadam regione, aut certa ejus plaga magna copia aliquibus annis temporibusve nasci videmus; quasque deses, quæ nos tenet, in notis remediis fiducia contemnit, aut saltem negligit in observando incuria: fors eam recondunt composita, sed destructa, aut inefficaci virtute. Fors ipsa, quæ ad alios usus adhibemus remedia. Fors plantæ, quarum virtutes ignoramus-fors, quas suspectas habemus, fors ipsæ venenosæ, animaliave, fors denique mineralia.

Consultum itaque foret, ut nonnisi simplicia scopo præservandi adhibuerimus. Nosocomiorum ministri optimam suppeditare possunt experimentis occasionem, imprimis in magnis civitatibus, ubi plura sunt nosocomia & plures ministri. Unum simplex in quatuor, quinque, aut pluribus ex his probari posset, in totidem aliud. Quod, si jam omnes manerent incolumes, jam magna esset inventæ antidoti præjudicatio, quæ postea in aliis hominibus, & alia pestis constitutione successive per experimenta reiterata confirmari posset, & deberet. Tandem etiam in ægris periclitandum foret, num eadem polleret præservans inventum domandi miasmatis virtute, quam sanos præservando ostendisset.

Tabacum fumo haustum insigni Diemerbrœckio se commendavit præservandi virtute. Illi solenne erat, absoluto visitationis ægrorum penso, circa decimam horam matutinam; tum &

post prandium aliisque, prout otium dabat, horis aliquot quotidie tabaci fistulas exhaurire, narratque se, mox ubi aliquem a sanitate recessum experiretur, postpositis omnibus negotiis, quacunque diei hora ad hoc remedium confugisse, sicque sese ter solo tabaco, semel eodem cum aliis remediis a præsenti periculo vindicasse.

Profecto multa bona præstat tabaci fumus. Collectum phlegma attenuat, discutit, avertit. Sua acrimonia solidas, quas tangit partes, stimulat, alvum movet, & primas vias expurgat. Quod vero maximum est, lenem inducendo narcosin, spasmos demulcet, curas, sollicitudinesque abigit, & exoptabilem conciliat menti tranquillitatem: ita liberum efficiendo humorum motum, & jam vacillare incipientem restituendo, non contemnendum dare valet adversus pestis insultus auxilium.

Tanto autem confidentius hos effectus expectare licet, si fumisuctionem præeat, aut comitetur liquidi cujusdam, calidi, tepidive sorptio: sic enim uber noxium diluens affluet saliva, sitique, aliisque ab ejus nimia jactura metuendis noxis obviam ibitur. Quæ quidem cautela hominibus, queis temperies calida, & sicca, humores spissi, & acres sunt, omnino necessaria est.

Chirurgus, cui pectus infirmum, tota corporis compago macilenta, humores labe scorbutica acres, ceterum imperterritus, verbis

thra-

thraſo, tum domi fere ſemper, tum maxime apud ægros fiſtulam exſugebat. Monitus abuſum vitaret, conſilium ſprevit. Tertia ab ingreſſu ad ægros hebdomada peſte corripiebatur: reſpiratione ab ipſo jam morbi principio difficili, calore magno, vomituritione perpetua. Salutem in tabaco jugiter quærens, duas ante mortem horas totus delirus fiſtulam ſumpſit, quæ ut præſervationem non præſtiterat, ita nec ſanationem moliri potuit. Inter vulgares plurimos, quibus tabacum in deliciis erat, vidimus peſte correptos, & mortuos.

Coram ægris Diemerbrœckius fumum tabaci non ſuxit: nec credo confert: metus enim eſt, ne forte aer, qui longa inſpiratione trahitur, applicet fortius ad pulmones venenum ibidem reſorbendum; nam quod tabacum qualitate ſua & odore: *Ita corrigat aerem inſpiratum, ut interiora viſcera nullo damno afficere queat*: plus dictum videtur, quam experientia confirmet.

Diemerbrœkius lib. 2. capit. 10. annot. 4.

An, & quid ad prophylaxin conferat jugis, quæ a Medicis ſuadetur, coram ægris ſputatio, an tabacum & maſticatoria hoc intuitu proſint? An ſalivæ deglutitio periculum faciat, vel augeat, omnino dubium, incertumque eſt, tanto quidem magis, quod vix habeamus indicium, unde miaſma, os ventriculi, ſeu & ipſum ventriculum topice afficere, ſuſpicari valeamus, ut priore capite dictum eſt. Miaſma, cui vehiculum ſubminiſtrat aer, ſaliva irretiri certum vi-

detur; an vero ab eodem in ventriculum delato major, quam ab ore detento, & per venas inhalante non secus ac saporum materia in corpus admittendo metuenda sit noxa, difficillime quis credo, definiet.

Quum itaque non constet masticatoriorum contra pestem virtus, incertumque sit sputationis emolumentum, non est, cur infectis adstantes in continua salivam exspuendi sollicitudine versemur, aut ab ægris digressi, ne eandem deglutierimus, anxie turbemur. Animi fiducia, & constantia plus valet contra pestem, quam omnia masticatoria. Si quis vero utroque præsidio se munire posse confidat, non obstabo, modo simul sitim vitet, & exsiccationem, ut de usu tabaci mox ajebam.

Ex his jam intelligitur, quid de amuletis sentiendum sit, Qui in illis fiduciam ponunt, pestem & mortem minus timent, & hoc plus habent, quam si angerentur metu. Subjacent tamen ei, quod aliæ prophases & occulta prædispositio minitatur periculo. Ita amuletorum quodvis eo, quo superstitio potius, quam rerum peritia id evexerat, dignitatis gradu brevi concidit, & hodiedum, cui præ alio sistendum sit, ignoramus. Id tamen compertum est, ea, quæ reapse venena sunt, velut arsenicum, nihil boni præstitisse, sed potius nocuisse, ut apud Diemerbrœckium videre est.

Multo itaque minori veri ſpecie externis illis quædam præſervandi virtus tribuitur, quam quidem alexipharmacis: hæc enim etſi venenum nec deſtruant, inerſve reddant, tamen ſi prudenter exhibentur, præſentes vires conſervare, vacillantes firmare, easdemque ad expellendum, ſi quod ſit peregrinum, adjuvare valent. Verum in horum ſelecto uſu, doſi ad anni tempeſtatem, ætatem, temperiem, conſuetudinem aliaſque utentium conditiones attentio requiritur, hyeme calefacientia facilius feruntur, quam æſtate. Stimulantia calidæ temperiei nocent, frigidis prodeſſe ſolent. Acida plurimos recreant, nonnullos lædunt. Fruſtra abſtemium & ſimul puſillanimem cœgeris vino ſibi mercari animum. Contra vino aſſuetus male ei valediceret. Optima itaque eſt regula, unuſquiſque ea uſurpet, quibus cum euphoria ceterum uſus eſt, quæ læſerunt, fugiat.

Verum, quum tempore peſtis Medici vix ſufficere poſſint, ut in ſingulis hominibus normam vivendi præſcribant, dirigant, & idonea titulo præſervantium præcipiant cardiaca; plebs vero ſe fato, & peſtis ſævitiei relinqui arbitraretur, omnino conſultum erit, ut in officinis pharmaceuticis talia proſtent, a quibus noxa non facile timeri poſſit. Sic etiamſi reapſe a peſte præſervandi virtute deſtituantur, ſaltem utentibus fiduciam gignent, quæ, ut dixi, non exiguum eſt adverſus peſtem præſidium. Videli-

cet humectantia, diluentia, resolventia, lenissime stimulantia non vanam promittunt tuendæ sanitati utilitatem, utpote, quæ dum secretiones excretionesque blande promovent, vix corpus mutant. Pulvisculi ex nitro, aliisve salibus mediis, & ex herbis, corticibus, radicibus leni amicoque aromate pollentibus, electuaria ex iisdem infusis decoctisve earundem virtutum, præmittenda tuto suadentur plebi: quæ inconsulto Medico a Pharmacopœis præservantia postulat. Valde stimulantia, ut sunt pleraque alexipharmaca dicta, imprimis spiritus, tincturæ, essentiæ communiter dispendi infidum, immo & noxium reor. Etsi enim in manu prudentis Medici præclaros usus habere possint, generaliter tamen loquendo pestem potius accersunt, quam avertunt. Illi enim homines, in quibus validus humorum motus, calor magnus, solida fluidaque in orgasmum facile irritabilia observantur, pesti maxime obnoxii sunt, calefacientia autem remedia hanc proclivitatem & generant, & præsentem augent, ut sponte patet.

Neque etiam obscurum est, quid aquæ & aquosorum usus pro prophylaxi præstare possit. Aqua enim motum & calorem temperat. Solida laxat, emollitque, humores diluit, attenuat, demulcet. In intimos recessus se insinuat, inutilia, noxia, acria, peregrina abstergit, obvolvit, educit. Tandem etiam diathesin corpori inducit, quæ non facile pestis igne succenditur,

& quæ ſuccenſa ab exitio facilius vindicatur. Unde quoque, me haud monente, apparet, quomodo cum illis agendum ſit, qui ad ſpirituoſa velut ad anchoram ſalutis, tempore peſtis, confugiunt, nec ſe quacunque ratione ab eorum uſu abſtrahi ſinunt, rati adverſus potens malum, ut peſtis eſt, potens quoque requiri auxilium. Videlicet eos quovis obtentu ad diætam humectantem, & aquaſorum uſum adducere conſultum erit, ut ſic noxæ, quas a ſpirituoſis veremur, aut tollantur, aut ſaltem minuantur.

D. Bruckmann, ut ſe præſervaret, magnam habuit liquidi rationem. Mane quidem, tum & aliquoties, præſertim ab ægris reverſus, tabaci fumum ſugebat; ſed pro jentaculo jus carnis acidulum, aut leviter vinoſum, ſubinde & ſerum lactis, aliquando infuſum theæ cum ſucco citri ſumebat, antequam ægros adiret. Ita & a meridie noſocomium aditurus cyathum vini hauriebat. Verum hunc ordinem non diu ſervavit, & jejunus ſæpiſſime ægros acceſſit: vini uſum, abſtemius quum ſit, itidem brevi reliquit, aqua contentus, quam ſiquidem corpus æſtuaret, ſubinde ſolam, frequentius ſucco citri ſpirituve minerali medicatam redditam, ſyrupoque quodam edulcoratam ſumebat. Ita cum diæta, quam amat, humectante & qua pollet æquanimitate, ipſe ſe incolumem ſervavit.

An vero eadem hæc vivendi ratio in altero homine eodem ſe commendaret ſucceſſu, aſſere-

re non præſumo. Conſuetudo enim magnam vim habet, & velut præfatus D. vix a ſua receſſit, ita & unuſquiſque ſuam conſulere debet. Sic Chirurgus ille, qui ab ipſo peſtis initio ægris adſtitit, nos ubique ad ægros comitatus eſt, propriam uxorem in eodem, quo ipſe degebat, conclavi peſte infectam habuit, ſpirituoſis liquoribus non inſenſus, nequaquam tamen ebrioſus, integra ſemper fruitus eſt valetudine, nec tabaco uſus, nec maſticatoriis, quæ D. Bruckmann itidem neglexit.

F I N I S.



quod ſubit, magnitudinem, & ſuorum obſequiorum præſtantiam, tum in ipſo, ſi ſupervixerit, tum in ejus vidua, prolibusque, ſi occubuerit, large remunerantur. Verum hæc liberalitas non eſt omnium temporum, nec locorum. Non habitabat Coronæ. Ab ægris, ne obulus quidem nobis oblatus eſt, multo minus a Magiſtratu, quem gratiarum loco, inviſo hactenus in comitatis, ingratique animi exemplo, non puduit aliquot focalis ligni orgyarum, quas ſuppeditaverat, poſt extinctam luem repetere pretium, quod lubenter eluimus lætabundi infami avaritiæ ſic anſam præripi, unum alterumve florenum in mercedis vicem nobis reputandi. Quæ quidem non propalarem, niſi me ſpes aleret, fore, ut hujus exempli horror, meliorem adferat Medicis ſortem, qui in poſterum peſtem non reformidabunt.

Nulla vero ſorte beatior peſti ſupervivere poteſt Medicus, quam ex hominum, quos ſervatæ vitæ debitores reddiderit, multitudine: quo hæc major erit, tanto quoque plures habebit ſuæ peritiæ teſtes, aſſertores, præcones. Dulcis ſane & jucunda, ſi quam mortales dant, voluptas.

En ſcopum, quem huic opuſculo præfixi. Artis Medicæ adverſus peſtem firmamentum; Medicorum felicitas, & quæ ex his fluit hu-

mani generis conſervatio: cui promovendæ ſi vel ſolum anſam doctioribus ſuppeditavero, meis votis ſatisfactum erit.

Quæ dicenda habeo, quinque capitibus complectar. Primum originem, progreſſum, fata, finem peſtis, cui interfuimus, exponet. Alterum generalia quædam de peſte depromet. Tertium ſymptomata enarrabit. Quartum curationem exiget. Quintum prophylaxin explanabit.

